Rostocker Dokumentenserver
Dieses Werk wurde Ihnen durch die Universitätsbibliothek Rostock zum Download bereitgestellt.
Für Fragen und Hinweise wenden Sie sich bitte an: digibib.ub@uni-rostock.de

Johann Georg Dorsche

Heptas Dissertationum Historico-Theologicarum, De Spiritu S. In Specie Columbae, inventione Crucis, expeditionibus ad Terram S. & sepulchrum Domini earumq[ue] fraudibus, Hierarchico Motu Spiritus S. circa Gideonem ...

Rostochii: Kilius, 1660

http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn727110772

Druck Freier Zugang



3194
Ff- 5004

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn727110772/phys_0002
DFG



Ex
Bibliotheca
Academiæ
Rostochiensis

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn727110772/phys_0003
DFG



Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn727110772/phys_0004
DFG

HEPTAS DISSERTATIONUM HISTORICO-THEOLOGICARUM, DE SPIRITU S. IN SPECIE COLUMBÆ, inventione Crucis, expeditionibus ad Terram S. & sepulchrum Domini earumq; fraudibus, Hierarchico Motu Spiritus S. circa Gideonem, Visione Gregorii Thaumaturgi, qua à B. Virgine Mysterium S. Trinitatis doctus est, residentia Spiritus S. in Sede Romana, &c.

exhibitarum pridem

in

Publica PANEGYRI

A

JOH. GEORGIO DORSCHEO D.

ROSTOCHII,
Typis Hæredum NICOLAI KILII,
Acad. Typ. Anno 1660.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn727110772/phys_0005
DFG

Ex Bibliotheca Academiae Rostochiensis

1933. XII 30.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn727110772/phys_0006
DFG

SERENISSIMO CELSISSIMOQUE PRINCIPI ET DOMINO

DN. GUSTAVO ADOLPHO,

DUCI MECKLENBURGICO, PRINCIPI VETUSTÆ GENTIS HENETÆ, SVERINI ATQ; RATZEBURGI, COMITI ITEM SVERINI, TERRARUMQ; ROSTOCHII ET STARGARDIÆ DYNASTÆ, &c.

PATRIÆ PATRI INDULGENTISSIMO,

ET SUO INPRIMIS

PRINCIPI AC DOMINO CLEMENTISSIMO,

Primum hunc sui Parentis fœtum posthumum *humillimè offert & sacrum esse jubet*

Filius Autoris.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn727110772/phys_0007
DFG



Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn727110772/phys_0008
DFG

SERENISSIME PRINCIPUM

GUSTAVE ADOLPHE,

CLEMENTISSIME DOMINE,

NEcdum post mortem jam Dorscheus tuus id cessat agere, quod suarum sibi curarum, quoad supervixit, potissimam & nunquam

non

non ſummam votorum judicavit. Ut ille ſpiritus fervore infatigabili, quàm primùm TE, DOMINE, ſibi cœlitus deſtinatum PRINCIPEM, cujus ipſe miniſteriis ſupremum ſuæ animæ impenderet, arcanis fatorum ſtimulis intellexit; ſuos TIBI labores probare, omnesque conatus ſuæ mentis devovere ſtuduerit, prolixiùs recenſere, inutilis ſit opera: apud TE præſertim, qui miniſtrorum Tuorum fidem & labores illuſtri munificentiâ amas compenſare priùs, quàm oblivione ullâ obliterari poſſint.

Cujus

Cujus rei eò luculentiora in meo Parente documenta extare voluisti; quò ille promptior ad Tuum, SERENISSIME, nutum, patriâ relictâ, sub seram jam ætatis suæ vesperam, in hanc Tuam concessit Academiam: quò & cõstantior in eâdem vivere prius, quàm TIBI, DOMINE, servire desiit. Ille ipse Tuus, DOMINE, Dorscheus idem jam post cineres agit, & è suorum laborum, quos TIBI pridem devovit, reliquiis, etiam præsens hoc qualequale opusculum, TIBI sacrum, è tumulo porrigit, quanquam manu

alienâ,

alienâ. Non id, meâ quantumvis oblatum manu, dedignaberis, SERENISSIME, eodem, quo pridem solebas, si qua TIBI propriâ manu porrexit Parens, id est, CLEMENTI VULTU respicere: neque fœtum posthumum, qui primus ab Autoris funere in lucem editur, tollere dubitabis. Multa sunt, DOMINE, quæ me in hanc spem animare valeant: quorum unicum saltem sic me proloqui, ut orbis audiat universo, PRINCEPS INDULGENTISSIME, ne indignare. Solum me, CLEMENTISSIME DOMINE, mini-

miniſtro Tuo, cujus fidelitas poſt DEUM nemini, quàm TIBIMET, penitius introſpecta eſt, filium ſupereſſe agnoſcis, quem ipſa Naſcendi Lex bonis paternis ſucceſſorem determinat: adeoq; jam ſublimi judicio eorum frontem confundis, ſi qui ſunt, qui filiusne unigenitus Parentis ex aſſe hæres ſit, non diſputare erubeſcunt. Atqui nulla potior mihi paternæ hæreditatis pars eſt, quàm mens SERENISSIMO GUSTAVO ADOLPHO humillimè devota, quam ex Alſatia usq; in hunc ſeptentrionem & hîc terra-

terrarum ad tumulum usque Parens meus circumtulit, & in me filium, piâ μετεμψυχώσει transire jussit: Nulla paternarum possessionum pretiosior mihi est, quàm GUSTAVI ADOLPHI CLEMENTIA, quâ ille à Treboccorum LILIO abstraxit Parentem meum, & fragrantissimæ Herulorum Rosæ seu potius Arctoo huic PÆSTO inseruit, inibiq; ad extremum usque ejus halitum munificentissimè fovit. Tantorum me κειμηλίων, dum filium Dorschei, eo ipso hæredem quoq; Natura constituit ex asse & incontroversum.

Quin

Quin ergo præsenti animo ad Tua genua denuo provolvor, SERENISSIME, & ut has mihi possessiones, quas solas Parens ἀναμφησήτες reliquit, asseram; alteram TIBI, DOMINE, offero: alteram piâ vicissim confidentiâ ambio. Ergo accipe, SERENISSIME PRINCIPUM, quod offero, opusculum hoc Parentis, sed filii manu porrectum, & conatum inde mentis à Parente pariter & filio TIBI devotæ CLEMENTER agnosce. Indulge vicissim, DOMINE INDULGENTISSIME, quod ambio, & quâ CLEMENTIA Paren-

Parentem meum ad tumulum usque prosecutus es, eadem filium Parenti extra patriam superstitem,& ab omni Consanguineorum consilio auxilioq; remotiorem,adeoque iis injuriis, quæ orphanis imminent, maximè expositum, uti cœpisti jam, ita porro serva, ita fove, ita vindica: ut intelligat orbis, longinquum iter, quod ad septem triones Tuis, DOMINE, auspiciis Parens suscepit, post ejus jam excessum minimè filio esse pœnitendum. Has ego, DOMINE, ad TUA GENUA pro salute meâ preces effun-

fundo; sed & alias hoc ipso momento pro Tuâ salute effundo ad thronum DIVINÆ MAJESTATIS: ferventes utrasque, quia amarissimis è recenti luctu lacrumis perfusas: utrasque, credo, & penetrantes, quòd penitissimè suspiratas ex imo pectore orphani, cujus ad vota neque DIVINA MAJESTAS, neq; IMAGO DIVINÆ MAJESTATIS, PRINCIPES, surdi esse possint.

Serva me, DOMINE: fove me, DOMINE: vindica me, DOMINE: sic, Te, DOMINE, viciſſim cum SERENISSIMA FA-

MA FAMILIA UNIVERSA ser-
vet, sic TE foveat, sic TE vin-
dicet DOMINUS DOMI-
NORUM! ita fiat, O! JESU,
ita Tu, O! JESU, POTENTIS-
SIME CARDIARCHA, cujus ad
nutum PRINCIPUM corda
flecti cerea sunt, clementissi-
mè faxis!

Dabam è Musèo B. Parentis
ROSTOCHI. III. nonas
Aprilis. A. O. R.
cIↃ IↃC LX.

SERENITATIS TUÆ

devotissimus cliens
JO. GEORG. DORSCHEUS,
Argentoratensis.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn727110772/phys_0018
DFG

Disertationum Historico-Theologicarum Syllabus.

I. De Spiritus S. in specie Columbæ super Christum descensu. p. 15

II. De Crucis inventione antiquitus tradita & pluribus credita & de vera S. crucis investigatione p. 94

III. De multiplicibus fraudibus in expeditionibus ad terram sanctã sub signo crucis adornatis, & vera expeditione mentium studiorumq; nostrorum ad cœlestem Hierosolymã sub salutari crucis JESU Christi signo p. 193

IV. De peregrinatione ad sepulcrum Dominicum verâ & rejiciendis peregrinationibus vanis atq; inutilibus p. 305

V. De Hierarchicis Spiritus S. motibus, quibus ad liberationem pressæ & calamitosæ Reipubl. summos viros excitat, exẽplo GIDEONIS p. 418

VI. De

VI. De Visione Gregorii Thaumaturgi Pontici Episcopi, qua dicitur B. Virginem θεοτόκον & S. Johannem Evangelistam vidisse & audivisse de Mysterio S. Trinitatis & æterna Spiritus S. divinitate perorantes, cujus meminit Greg. Nyssenus Orat. in ejus vita, quamq; Bellarm. lib. 1. de Christo inter argumenta pro ejo divinitate recenset, ejus autoritatem & an sit divina à Spiritu S. originis exponens, & quid de visionibus etiam hoc seculo frequentibo sentiendum declarans p. 497

VII. Qua ostenditur, Spiritus S. infallibilem residentiam malè ibi collocari, ubi hodie, magno cum applausu hominum religionem mutaturientium, eam Missionarii Pontificis Roman. collocant p. 592

AD

AD
DISSERTATIONEM
PRIMAM
PROGRAMMA.

DECANUS FACULTATIS THEOLOGICÆ IN ALMA ARGENTORATENSIUM ACADEMIA

ISAACUS FROEREISENIUS,
SS. THEOLOGIÆ DOCTOR, PROFESSOR ORDINARIUS ET ECCLESIASTES,

Civibus Academicis SPIRITUS S.
Gratiam & benedictionem P.

Videns ſpectati prorſus admiranda favoris ac clementiæ documentum eſt, quod JEHOVA altiſſimus

tissimus *Psal. 7. v. 8.* Rex ille seculorum invisibilis, *1. Timoth. 1. v. 7.* lucem habitans inaccessam, quem nemo vidit unquam, nec videre potest *1. Timoth. 6. v. 16.* qui DEUS est in cœlo supra, ac in terra infra *Jos. 2. v. 11.* cœlum & terram implens *Jerem. 23 v. 24.* nec implens tantùm, sed, juxta *Ambros. in cap. 3. Ephes.* excedens etiam; *nec enim claudituꝛ, sed omnia in se habet, ut solus ineffabilis & infinitus habeatur*; DEUS, qui juxta *Augustin. lib. 12. de Civ. Dei c. 30.* ubique totus, nullis inclusus locis, nullis vinculis alligatus, in nullas partes sectilis, ex nulla parte mutabilis, *implens cœlum & terram præsente potentiâ, non absente naturâ*, tanto genus nóstrum dignatus est opere; ut non tantùm olim πολυμερῶς καὶ πολυτρόπως locutus sit Patribus per Prophetas *Hebr. 1. v. 1.* verùm ad idem etiam tam accessit comitas ut nunc formâ conspicuus, cum mortalibus sermones miscuerit: nunc consilia sua cogitationesque amicè protulerit: nunc nocturnis visionibus atque insomniis sua

ra revelaverit: nunc de rebus graviſſimis diſ-
ſeruerit. Neque hoc uno eodemque modo;
ſed vario multiplicique. Aliquando, ut di-
xi, aſſumptâ externâ hominis formâ viſen-
dum ſe exhibuit: (*Divinitus enim non per
ſubſtantiam ſuam, in quâ inviſibilis & immu-
tabilis, ſed per creaturam ſibi ſubjectam mor-
talium oculis apparuit, ſcribit Auguſt. l. 3. con-
tra Maxim. cap. 16.*) Aliquando vox ipſius
tantum auribus percipiebatur, ipſe ſub aſpe-
ctum non venit: nonnunquam dormienti-
bus adſtitit, & miras ſpecies rerum atque ſi-
mulchra obtulit: nonnunquam etiam men-
ti ſingulari & abditiſſimo quodam modo
illapſus eſt. Qui modi ut varij ſunt, ita
non parum obſcuri & difficiles, ni probè
diſtinguantur; & quâ ratione DEO conve-
niant tribuique debeant, etiam atque etiam
quàm diligentiſſimè attendatur. Conſtat
enim ex veteſtis hiſtoriæ Eccleſiaſticæ an-
nalibus, quàm graviter & fædè, vel circa
unum divinarum apparitionum genus, ſu-
opte ingenio decepti, ſint hallucinati *Ma-
vichæi & Anthropomorphitæ*. De *illis* refert

B. Augustinus lib. contra Adamantium cap. 9. eos ex divinis apparitionibus impie concluſiſſe: Vetus Teſtamentum cum Novo pugnare: cum hoc diſerte teſtetur, DEUM viſum nunquam: illud ſæpiſſimè eundem mortalium oculis offerat. De *hu* ſcribit *Nicephorus lib. 11. cap. 16.* quod tempore *Theodoſij majoris*, in Ægypto, magnâ contentione & furore docuerint: DEUM corporeum eſſe & humanis membris non ſecus atque homines mortales conſtare: hanc præcipuè ob cauſam, quod ſcriptura viſum & apparuiſſe aſſerat, eidemque membra, oculos, manus, pedes, os, vultum paſſim tribuat. At conſideràſſe debebant iſta portenta hominum: *cum homines ſimus, humano more loqui ſcripturas, & per corporalia docere ſpiritualia, & per viſibilia demonſtrare inviſibilia*, juxta Hilarium *lib. 6. de Trinit.* ſeu ut *Procopius* effert *in cap. 3. Eſaj*: Ἀνθρώποις ὄσιν ἀνθρωπίνως ἡ γραφὴ διαλέγεται Fieri enim non poteſt, ſcribit *Dionyſius cap. 1. de cœleſt. Hierarch.* ut ad divina intelligenda perveni-

at ho-

at homo, nisi familiaribus quibusdam ac domesticis exemplis sensim ad ea condescendat: figuriscq; materialibꝰ & formis sensibilibus subvehatur, tanquam quibusdam scalis & gradibus ad eum, qui formæ & figuræ prorsus est expers, qui mole & tempore vacat. Sunt autem e Veteribus, qui è scripturis *quadruplicem* Θεοφανείας *modũ* eruunt atque demonstrant: *Visibilem* seu oculatem; *vocalem* seu auricularem; *imaginarium*, & *intellectualem*. Exempla hujus distinctionis non contemnendâ solertiâ collegit *Alphonsus Tostatus Abulensis Episcopus q. 2. super cap. 9. lib. 3. Reg.* Multi, inquiens, sunt modi, quibus Deus hominibus appareat. *Unus* est, quod veniat aliquis Angelus Dei, sumptâ figurâ humanâ, ut videatur atque loquatur. Sic apparuit *Gideoni Jud. 6. v. 12. 13.* Sic etiam Manue & Uxori ejus *Jud. 13. 9. 10. Secundo* apparet in solâ voce, ut ad hominem vigilantem vox aliqua mittatur, & nulla videatur esse loquentis effigies. Sic fuit Jsraelitis, quibus DEUS locutus est,

dando ipsis Legem *Exod. 20. & Deut. 5.* Sic quoque Moses audiebat vocem loquentis Dei ad se de propitiatorio *Num. 7. v. 8.* Sic apparuit etiam Samueli, cum ter DEUS ipsum vocavit, ipse vero ab Heli se vocari æstimavit *1. Sam. 3. v. 10. Tertio modo* apparet DEUS hominibus per somnia: De hoc *Num. 12.* Si quis Propheta Domini est inter vos, aut visione apparebo ei, aut per somnium loquar ad eum. *Quartus modus* est, per immutationem intellectus, ut quando DEUS alicujus intellectum elevat ad intelligendū supernaturaliter, quod aliter non poterat intelligere. Hoc fit *dupliciter*: *Aliquandò* cū ecstasi vel raptu: sic fuit in *B Paulo. 2. Cor. 12. v. 2. & seqq. aliquandò* sine ecstasi: & sic fuit in Elisæo *2. Reg. 3.* & multis aliis Prophetis. *Hæc ille*; pro more sui ævi non incommodè. Nos hic de divinis *Φανερώσεσι* soliciti, quæ cæteras omnes Apparitiones multis parasangis superant atque anteeunt: tum ob rationes alias, tum eam vel in primis, quod omnes in V. T. exhibitæ sub humanâ

formâ

formâ apparitiones, ἐνεργείας Filij DEI fuerint præludia: quod ex priscis Patribus, præter *Augustinum* ad Amantium *Manichæi discipulum cap. 9.* agnovit Leo *Epist. 15. ad Pulcheriam Imperatricem*; Illæ, inquiens, formæ magis hujus hominis erant indices, cujus veritatem ex præcedentium Patrum stirpe sumendam significationes mysticæ nunciabant. Cui suo calculo præivit *Tertullianus*, qui *in lib. adv. Praxeam* ita scribit: *Filius* DEI *& visus est semper, & filius operatus est semper, ab Adam usque ad Patriarchas, in visione, in somno, in ænigmate, in speculo, ordinem suum præstruens ab initio semper. Quæ erat persecuturus infinita semper, ediscebat, &* DEUS *in terris conversari cum hominibus, non alius, quàm sermo, qui caro erat futurus. Ediscebat autem, ut nobis fidem sterneret, ut facilius crederemus filium* DEI *descendisse in seculum, & retrò tale quid gestum cognosceremus.* Dubium enim nullum est, quin filius DEI fuerit, qui post lapsum primorum parentũ in horto paradysi assumptâ aliquâ humani

corporis specie deambulavit, miserosque peccatores coram allocutus est. Et si enim appellatio illa *Jehova Elohim*, *Genes. 3. v. 8.* tribus in divinitate personis communis est: à *Chaldæo* tamen *Paraphraste* assignatur VERBO DEI, hoc est, *Messiæ*, qui prævidens lapsum, jam se λύτρον obtulerat Deo Patri pro peccatis hominum, in adorandâ illâ de generis humani redemptione TRIADOS sacratissimæ synodo. Φιλανθρωπίαν agitur suam ostensurus hominibus, olim futurus ipse homo, humanam speciem induens, transgressores adit, velut Medicus (ut *Chrysostomus ait*) ad invalidos jacentesque ægrotantes, & pœnas, quas commeriti erant, æternas mitigat atque levat. Hanc primam eamque amabilem Θεοφάνειαν, subsecutæ postea sunt & numero plurimæ & aspectu jucundissimæ. Illustris inprimis post illam fuit, quæ *Abrahamo* in quercubus Mamre sedenti facta est in trium Virorum conspectu, quos quidam Angelos fuisse existimant, mysterium Trinitatis adumbrantes,

ut è

ut è Veteribus nonnullis placuisse testis est *Niceph. lib. 8. cap. 30.* alii verò cum duobus Angelis CHRISTUM se ibi manifestâsse malunt: quæ ferè omnium Veterum assertio est, præcipuè *Justini Martyris in Trypho-ne*, *Clementis Alexandrini lib. 5. στρωμάτ*: *Hilarii in lib. de Trin. August. serm. 70. de tempore.* Constantinus quoque M. apud *Eusebium lib. 3. in Vita Constant.* M. ad Macarium Episcopum Hierosolym: scribens; de templo novo in Mamre extruendo: *Illic primùm*, inquit, *Salvator cum duobus Angelis sui ipsius apparitionem prolixè Abrahæ exhibuit: illic hominibus apparere cæpit.* Ab hac non minoris existimationis est illa *Φανέρωσις*, quæ Jacobo obvenit è Mesopotamia in patriam remeaturo, *Genes. 32. v. 24 seqq.* quâ ipsi occurrit VIR, *quocum luctatus est, donec ascenderet aurora*: quem nec angelum malum, in specie Esavi comparentem, (ut voluit *Procopius & Lyranus*) nec de communi bonorũ genere fuisse quempiam, *Oseæ cap. 12. v. 4. & 5.* testimonio constat, quod tale: *prævaluit*

luit Angelo & superior fuit, flevit & rogavit eum: in Bethel invenit eum & locutus est nobiscum. Jehova autem DEUS *exercituum,* יהוה זכרו JEHOVA MEMORIALE *ejus.* Tacitus prætereo spectabiles Θεοφανείας similes alias ejusdem præstantis notæ, quæ ad miraculum usque diversis temporibus, distinctisque personis; putà *Noacho, Lotho, Hagari, Moysi, Josuæ, Gedeoni, Manue & uxori ejus Parentibus Simsonis*, & ut quidam volunt *Nebuchodonosori apud Dan. 3. Esaiæ, Ezechieli* & non paucis aliis è Prophetarum choro factæ sunt. Istam in sacra scriptura omnium esse illustrissimam maximeque verendam & suspiciendam, quæ ad Jordanis ripas contigit, cum Christus in baptismate tinctus ad suũ inauguraretur ministerium, communis omnium Doctorum est sententia. Videatur Chrysostomus *hom. 4. in Act. & hom. 13. in Matth.* August. *tract. 33. in Joh. lib. 2. de Trinit. cap. 6. Epist. 102.* Ambros. *l. 1. de Sacram.*; Damas. *Orat. de tranfig. Dom.*; Quid enim mirabilius hoc vel visum

vel

vel auditum unquã fuit, inde â mundi primordio, quàm quod cœlum miraculose diffinditur ac scinditur, & quidem ita, ut ex illa cæli fissura emicuerit lux quædam augustior & divinior, prænuncians revelationẽ ejus, *qui habitat in luce cæleſti & inacceſsibili* 1. *Timoth. 6. v. 16.* ex eadem luce audita sit vox cælestis Patris; conspectus insuper Spiritus S. in corporali specie columbæ super Christum DEI filium descendens; filius in ripa Jordanis stans proclamatur Dilectus DEI filius, in quo Patri sit bene complacitum? Apparitio profecto talis, quæ Palmarium & Achillæum pro astruendo SS. Trinitatis Sacramento argumentum subministrat, adversus tremendi mysterii hostes, quâ *S. Auguſtinum* ita delectatum fuisse legimus, ut inficiantibus vel oppugnantibus illud, dicere fuerit solitus: *Perge mecum ad Jordanem, & videbis, quod credere pertinaciter recuſas.* Tria siquidem sunt *externa ſymbola*, in quibus sese tres Unius Divinitatis Personæ manifestant. *Pater* in voce audibili: *Filius* in assumptâ carne; *Spiritus S.* in corporali spe-

cie columbæ. Adest DEUS *Pater*, scribit, *D. Ambrosius serm. 21* cum baptizaretur Dominus: adest SPIRITUS S. Et quia DEUS videri non potest, *Spiritus* in columba, *Pater* descendit in voce, quodque solum ad adstruendam fidem erat necessarium, exhibet Salvatorem. Fides enim nostra non nisi auditu constat & visu. Ideò *Spiritus* in columba oculis subdit; *Pater* in voce se auribus subministrat. Nam nisi propter nostram fidem ista fieri oportuisset, potuit Pater & Spiritus S. tanquam invisibilis Deus, ad verbum filium invisibili prolapsione descendere. Igitur propter nostram fidem aperto cælo, Spiritus ad Christum, Pater ad filium, Vox descendit ad verbum. Verbum enim Christus est. Ex mirabili hac Θεοφανία, pro more laudabili nostræ Academiæ, tertiam SS. Trinitatis personam, quæ in *forma* COLUMBÆ apparuit, descendentis super Christum, (cujus in Ecclesia circa hoc Pentecostale tempus ob inenarabilem ejus effusionem super Apostolos factam, solennis

& festi-

& festiva celebrari solet memoria) sibi delegit *Vir Reverendus admodum, Clarissimus & Excellentissimus* DN. JOHANNES GEORGIUS DORSCHEUS *SS. Theologiæ Doctor eximius, Professor Ordinarius & Ecclesiastes celeberrimus, Fautor, Amicus, Affinis & in Christo frater noster plurimùm honorandus*, eamq; solenni oratione perendie HORA VIII. matutina in Auditorio majori in publicum producet; *Spiritus S. in specie columbæ descendentis expositurus & Personam & officium.* Ad mysterium siquidem descensio tam admirabilis pertinet omnium, scribit *Chrysost. hom. 4. in Matth. Oper. Imperf.* ut scirent, ideo corporali specie Spiritum S. descendisse super Christum, quia post in omnes baptizandos invisibiliter sua dona esset effusurus. Hanc ad orationem sedulo ac serio audiendam, quia consuetâ frequentiâ Vos *Vestra sponte* almi spiritus ductu & instinctu comparituros persuasum mihi habeo, omissis invitatoriis argumentis, quæ cuique

sua suppeditabit devotio, sufficere mihi! Vobis eam intimâsse, arbitrabor. Addam hoc unicum: VALETE! PP. Argentorati 13. Maj ANNO M. DC. XXX.

Ad pag 9. lin. antepenult.

Nicolaus Lyr. ad Gen. 32. *Angelus Esau* (*quem* fuisse angelum colluctatoré putant) *secundum Hebræos, licet bonus fuerit, nescivit tamen divinam sententiam diffinitivam, quod jus primogenituræ & benedictiones essent ipsius Jacob de jure, usq; quò vidit, per hoc, s. quod Deus tantam virtutem contulit ipsi Jacob. & tamen hoc antea fuerat revelatum ipsi Rebeccæ & Isaac posito in ecstasi.* Lyrani sententia est, Fuisse angelum bonum. *Apparuit ei angelus, qui fuerat ei protector in via, & finxit, quod vellet eum dimittere propter parvitatem suæ confidentiæ. Jacob autem instantia orationis fervidæ eum rogabat, ne ab eo recederet. &c.*

DISSERTATIO PRIMA

De Spiritus S. in specie columbæ super Christum descensu.

PRisci gentium sapientes, quibus æternæ veritatis vis divinis tabulis edita incognita fuit aut contemta, cum rerum universitatem intuerentur, in eaq; sydetum innumerorum perpetuam agitationem, Virtutis occultæ in subdita corpora illapsum, mirandam elementorum vicissitudinem & fœcunditatem, certissimas in tantis mutationibus leges, & insuperabiles naturarum lineas, & additum quendam subhis omnibus moderatorem, qui suam singulis indolem quasi admetiretur, conijcerent, Spiritum quen-

quendam finxerunt, per universum diffusum, à DEO distinctum, quem animam mundi vocarunt. Sic enim Timæus Platonis: *Animam mundi Deus in medium ipsius inditum per totum extendit, & adhuc extrinsecus corpus ipsa obvelavit, & in circulum se convertens circumcirca cœlum unum, solum desertum constituit, ut, quod ob virtutem ipsum cum seipso consuetudinem habere posset & nullo alio opus haberet, & ipsum sibi ipsi satis notum & amicum esset.* Et rursus. *Anima mundi visui exposita non est, rationis autem & harmoniæ particeps, ab optimo ex his, quæ intelligi possunt, & semper sunt, optima ex his quæ facta sunt, facta est.* Sic etiam Mercurius Trismegistus in Pimandro. *Anima mundi omnes animas distribuit tanquam circumcurrentes: quarum quædam mutantur in melius, quædam in pejus. Nam reptilium animæ in aquatilia transmutantur, aquatilia in terrestria migrant, terrestria in volatilia adscendunt,*

dunt; aereorum in homines vertuntur, hominum animæ immortales in dæmones transeunt, dæmon in Deorum chorum feliciter revolat. Chori deorum gemini sunt, vagantium unus, non vagantium alter, & hæc est suprema animæ gloria, si sic à mundi anima derivata in Deorum chorum fluat. Et rursus in Asclepio. Spiritu in mundo ministrantur omnia & vegetantur. Est ille quasi organum & machina summi Dei voluntati subjecta. Omnes enim species in mundo gubernantur spiritu: unaquæq; secundum naturam suam à DEO sibi distributam. Sic Plotinus in Enneadibus suis. Anima mundi ubiq; existens, non divisa per partes, sed ubiq; tota, dat & cœlo, ut & ipsum, quoad potest, sit ubiq;. Potest autem ideo, quia transit & progreditur per omnia. Et rursus. Anima mundi prorsus ab omni sollicitudine vivit, nulla consultatione gubernans, nec quicquam torrigens curiosè, sed ipso suo intuitu ad superna mirabili potentia totum ornans; Enn. 2. l. 2. c. 1. Enn. 2. lib 9. c. 2.

nans: quoq; magis in suo se figit intuitu, eò pulchrior sit & potentior. Itaq; desuper hauriens in inferiora transfundit
Enn. 3. & divinitus illustrata illustrat. Et rur-
l 5. 6. sus: Anima universi universum amorem
4. habet, particularis, unaquæq; suum: particularis amor animam particularē comitatur, universalis universalem. Et rursus. Anima mundi animalia omnia fecit, quæ nutrit tellus, quæ mare & quæ in aere sunt & quæ in cælo stellæ divinæ. Solem cælumq; hoc ingens exornavit, ordine perpetuo ducit, existens natura quædam ab his diversa, quæ ornat, quæ movet, quæ suggerit vitam. Ideo hæ omnibus præstantior est, quæ oriuntur, cum anima eis suppeditat vitam, & occidunt, cum destruit, cum ipsa semper sit, quæ nunquam deserit semet ipsam. A deceptione libera est, & ab his omnibq, quæ cæteras animas fascinare consueverunt, immunis, in habitu quietissimo constituta; quicquid etiam extrinsecus ambit, conquiescit. Neq; in particulas divisa

vitam

vitam inserit singulatim, sed omnia se tota vivificat, tota ubiq; adest, effecta similis patri tum secundum unum, tum secundum quandam per omnia amplitudinem. Cœlum etsi multiplex & aliud alibi sit, animæ hujus potentia unum est. Propter hanc mundus est DEUS, & sol & stellæ, quoniam hâc animatæ sunt. Et nos, quicquid habemus egregii, ob hanc duntaxat habemus: orbati hac anima sterquilinio abjectiores sumus. Sic insuper Alcinous. *Animam mundi, quæ semper extitit, haud efficit Deus, sed ornat & excitat eam & ad se ipsum ejus mentem, velut ex profundo somno, convertit, ut ad ea, quæ intelliguntur à Deo, adspiciens, divinaq; notiones affectans, species & formas inde recipiat.* Sic ex Marschola Platonicorum Marsilius Ficinus. *Anima mundi ad superna se flectens ab illis similiter & radium accipit & accenditur, gignitq; amorem affluentiæ inopiæq; participem. Hinc formis rerum omnium exornata, ad earum exemplar cœlos*

Alcinoo. c. 14. p. 1953.

Marsil. Ficinus In Plat. Conv. c. 6. p. 1345.

cœlos movet, perq; potentiam generandi similes illis formas in elementorum materia generat: ubi rursus venerem geminam adspicimus, alteram, vim animæ superiora cognoscentem, alterā ad inferiora procreatricem. Illa, imitatio est angelicæ contemplationis, hæc, naturæ animæ propria; quia rerum seminibus gravis est, & vitarum sortibus atq; formis gravida, quas descensurus inserit animalibus, quia insitas vitæ sortes ordine suo evolvit in actum vivendi, & explicat in effectum, quia vitas jam evolutas in actum, progressu quodam indeclinabili ad inevitabilem usq; terminum conservat. Hanc animam mundo tribuerunt, hunc spiritum universo infuderunt inter gentium sapientes priscos optimi, rerum divinarum aliqua consideratione celebres. Ex hac anima, ex hoc spiritu, tanquam ex supremo fonte, derivarunt & Deos, & dæmones, & sidera, & siderum mare, cœlū, & corporum inferiorum primordia, & for-

& formarum semina, & ipsas nostras animas, quibus proximus ad Deum accessus, & quicquid in illis sive divinum, sive acutum, sive vegetum eminet. Hanc religionis, pietatis, & moris, fidei, nexus cum Deo, felicitatis, æternitatis matricem ponunt. Hujus parentem Deum appellant. Hanc primam è Deo egressionem asseverant. Viderunt nimirum ex vetustissimis divinæ sapientiæ monumentis, arcanos quosdã in supremo numine processus, animadverterunt cœlestis dispensationis pulcherrima lineamenta. Sed cum id postea suis figmentis adumbrare & tanquam felicis ingenii foecunditatem orbi ostentare tentavissent, factum est, ut caligine quadam circumfunderentur, ex qua hoc tantum mussitare potuerũt. Infelices animæ, quæ proximæ fuerunt cœlestib⁹ arcanis, & brevi transitu ad divinitatis consortium penetrare potuissent, nisi retulissent cum

pede-

pede mentem, & hæreditarii erroris fascino purissimâ veritatẽ, eluisset. Quanto divinior est nostra conditio, quos natura in cũ sinũ clementer exhibuit, in quo habitat immensꝰ Deus, in quo feliciter gubernat sapientissimus Dei Spiritus, ubi excludit beatissimo partu cœleste semen, immortalitatis vigorem, felicitatis nunquam terminandæ opes. Ita cum natura accipimus Deum, cum anima animæ Dominum Spiritum. Ita nascendi terminus est initium felicitatis divinæ. Deinceps verò per intervalla ætatis exscendimus ad veram sapientiam & haurimus avido pectore eum fontem, ex quo universitas & quicquid in ea sive eminet, sive subsidet, fluxit. Nimirum SANCTUM DEI SPIRITUM, Deum infinitum, æternum, omnipotentem, scientia incomprehensibilem, præsentia immensum, ex patre & filio Deo ineffabili modo ab ipsa æternitate ita procedentem,

ut extra Deum patrem & filium nunquam sit, neq; posterior, neq; inferior, neq; minor Deo patre & filio, sed unus cum utroq; Deus, seculorum conditor, cunctorum animator, bonorum fons, beatitudinis plenissimus & possessor & diribitor. Ille in ipso rerum primordio moli, ex qua orbis totius corpora virtute summa educenda fuerant, ita incubuit, ut universam pervaderet, universam vegetaret, universam potentissimo nutu in eum ordinem cogeret, quem nunc miramur, quotquot non extra nos sumus. Sed sanctius domicilium delegit sibi postea sanctissimus Dei Spiritus, in quo explicaret divitias suas & arcanum magnitudinis suæ aperiret, animum hominis, spiraculum suum. Ad eum etiam post defectionis scelus rediit, tantus est amor hujus sedis! & consilia expiandi sceleris ex secreto immensæ Triadis protulit. Imo & extra morem atq; ordinem

nem vehementissimo æstu quorundam concussit pectora, ut ex optatâ serie futuræ redemtionis à DEI filio precium explicarent, & insolita voce hon ine: in cœlorum sanctuarium raperent. Comparente verò novi fœderis solennitate, & filio Dei jam homine induto & è selectissimæ beatissimæq; Virginis sinu nato, ut cœleste redemtoris incomparabilis officium exequeretur, placuit sanctissimo Dei Spiritui, etiam oculis hominum sese sistere, & sub illustri quodam velamento distincte sese ostendere. Visa fuit sacrosancta Trinitas etiam sub V. fœdere, visus fuit sub adscititia forma Deus Pater, conspectus etiã sub varia imagine DEI filius, cum Abrahæ fœcundi atis numerosæ & salutaris nuncium adferretur, cum Jacobo cælestis scala ostenderetur, cũ rubus arderet, cum caligaret & fumaret Sina, cum Seraphini τρισάγιον cantarent, Cherubini terribili specie rotaren-

rotarentur, Danieli cœlestes throni comparerent. Nuspiam separato habitu, imagine sejuncta, specie singulari Sanctus DEI spiritus comparuit. Novi fœderis solennitas, ut JESU Christo in carne, ita etiam Spiritu S. in visibili specie illustris fuit. Nolo jam illam proponere & suavé & terribilem imaginem divinissimi Spiritus, qua se & ventorum fragore & ignis flammis Legatis regni cœli us instaurandi exhibuit. Eam vobis, Auditores, festa pietate sacer templorum nostrorum Septenarius, crastino die, explicabit. Nos animum ad Jordanem appellemus, clarissimũ plurimis miraculis fluvium, ubi stantem in ripâ Dominum JESUM deprehendemus, madidum adhuc ab undis, quibus eum regni cœlestis felicissimus antecessor conspersérat, in cujus verticem sanctus Dei Spiritus sub nitidissima columbæ imagine descendit. Jucundissimum spectaculum,

lum, angelicarum mentium gaudiũ, fidelium solatium, impiorum terror. Quod non licuit nobis, quos in hanc mundi sentinam sera parentum nativitas conjecit, & procul à Phœnicibus arvis esse voluit Dei providentia, oculis usurpare, stylo & animo effor-mabimus. Implorate mecum, Auditores splendidissimi, ardentissimis votis, innocentissimum sanctissimũq; descensorem, Dei Spiritum, ut tam benignus mentibus nostris illabatur, & linguam moderetur, quàm sub columbina specie maximus cœlorum Dominus latuit, & susurrantes pennas suavissimo volatu moderatus est. Vos verò columbino candore, dictionis meæ simplicitatem, observanter quæso, æstimate.

Agebatur annus ab orbe condito termillesimus nongentesimus septimus, Olympiadis ducentesimæ primæ annus quartus, à conditu Romæ septingentesimus octuagesimus,

Prin-

Principatus Tiberij decimus quintus: concutiebatur orbis variis motibus, Romæ sub prisci honorum imaginibus domus Augustorum regiæ potestatis vim exercet: in illa Cæsarum familia creberrima odia & atrox cædes clarissimam sobolem evertunt: Sejanus dominationis avidus de evertenda domo Cæsarum consilia agitat: in Italia & in ipso orbis Senatu, ut quisq; obstiturus videbatur tyrannidi, & fugitivam libertatem retentur validè, sine discrimine interficiebatur: in Germania hærebat Romanus exercitus, cladem Varianam ulturus: In Galliis Hedui & Treviri res novas moliebantur: Harminius in Germania contra Maroboduú bellum movet. In Thracia graves tumultus excitabantur: Tacfarinas in Africa bellú renovabat: Judæam Pilatus Procurator Romanorum tenebat: vicinæ regiones in Tetrarchias divisæ variè gubernabantur: universus orbis falso-

rum Deorum amore insaniebat: in Judæa, præter ceremonias divini instituti, priscæ religionis à patribus & vatibus traditæ vix vestigia constabant publicè. Hoc rerum statu motuq; tricesimum annum agebat æternitatis Dominus, JESUS Nazarenus, & fabrilibus instrumentis positis in publicum prodit, quæsiturus cœlestis regni instaurandi feciales & legatos, per quos in omnia mundi regna regnum suum funderet: & cū principe orbis, ex Acheronte dominante, de rerum summa manum conserturus. Ut verò æternæ gloriæ conatus felici omine & augurio procederet, placuit in Jordanis ripa baptisantem & fluento tot miraculis nobilitato in mentibus hominū initia perpetuæ religionis operantem accedere, & ijsdem imbui mysteriis. Itaq; è ripa in alveum fluminis descendit fons omnis boni & puritatis simplicissimæ eminentissimus, splendor consue-

consueta sacræ acclamationis formula abluitur. Hoc sacro peracto, cum exscendisset jam in ripam, ostentat se miraculum, quo majus sub sole nullum claruit. Aperit se illustri specie cœlestis machina, illa inviolabilis syderum sedes; illud perpetuæ serenitatis simulacrũ scinditur, rumpitur, hiat, & quasi corona futura tanti regis, in qua gemmarum vicem vastæ magnitudinis sydera explerent, orbem facit, progreditur quasi tremulus tanti miraculi Spectator sol, & soli justitiæ suum jubar mutuat, ex hiatu purissimæ & sanctissimæ lucis jucundissimus splendor exoritur, & sistit se ibi arcanæ felicitatis inaccessa mortalibus sanctitas. In illa corona, quam ad ripam Jordanis stanti Regi suo cœlum eminus ostentabat, confertissima cœlestium radiorum acies gloriam immortalis in terris Dei vindicabat, & quorsum tenderet maximi sanctissimiq; consilii executor, digno

fulgore monstrabat. Patet cœlum; videat hoc summi Regis exercitus, videant hoc beatissimarum mentium felicissimæ nitidissimæq; phalanges, videant hoc dominationes, throniq; æternitatis, videãt hoc Cherubicæ & Seraphicæ inter cœlites flammæ. Consistant astra, stupeant homines! Grande secretum ex immenso sanctuario proditurũ est. Para te aer! inauditum per orbem transferes mysterium. Exesto princeps aeris! vox letalis inferorum turmis audietur. Dulce sonat æternæ paternitatis DEUS, æternæ Deitatis pater. Hic est filius meus dilectus, in quo mihi complacuit. Infinitæ dilectionis argumentum vox è cœlo resonans. Adeò ne cœca est & sui boni ignara hominum soboles, ut inaccessæ lucis Deum, æternæ Majestatis filium, nesciat, ut voce è cœlis hiantibus resonante supremum mortalium deo, unicum immortalis gratiæ pignus indican-

dicandum fuerit. Sanè adhuc stupent, adhuc caligant mortales, & quem tantæ lucis fulgor, patentis cœli orbis, & vox è sereniſſimo throno reſonans velit, hæſitant. Nam ut in fabrilem pullum tantæ majeſtatis apparatum fieri crederent, deridiculum videbatur. Ut igitur indice digito intenderet cœleſtis pater, quorſum tantum lucis emiſerit, quem corona cœlica ambierit, quem vox cœleſtis commendaverit, digitus Dei, ſanctus Dei Spiritus Jeſum juxta Jordanem ſtantem tangit. Quia verò inviſibilis majeſtas mortalibus oculis non capitur, pulcherrima imagine reliquum divinitatis ornatum complet & ſe manifeſtat. Ex orbe cœlorum, ex ſereniſſima luce, ex radiorum clariſſimorum denſo agmine, in ipſo cœleſtis vocis ſuaviſſimo ſonitu corporea ſpecies columbina librante volatu prorumpit, & poſt emenſa puriſſimi ampliſſimiq; aeris itinera in Do-

minum JESUM subsidet. Hinc demũ stupor & admiratio, & judiciorum ancipitium, & jactatio animorum varia, & omina dextra, siniſtrave, & futurorum conjecturæ, & solitæ in repentino casu commurmurationes, in tanta multitudine, quanta tum ad Jordanem confluxerat maxima. Pii & jam in Jordanis undis cœlesti beneficio beati non jam Jordanis mysteria, sed JESU miracula, cogitabant. Fingite vobis, Auditores, si fortunæ sequioris homuncionem ex cœli hiatu emissus fulgor alicubi coronaret, si circum eundem ex aere sereno producta vox sonaret, quæ rem insolitam mirando indicio proderet, si tandem ex ipsis cœlorum recessibus, ex ipso luminis insoliti arcano aquila aut columba evolaret, & hominis occuparet verticem, quantus quæso spectatoribus horror incuteretur, quanta animorum consternatio oriretur. Quousq; existimatis penetraturam

turam maximi spectaculi famam? quantum ingenia exercituram? Stat interim ad ripam Dominus Jesus, cœlorum fulgore coronatus, admirabili voce commendatus, speciosissima columba designatus, quandiu placuit sapientissimæ Majestati durare tantum miraculum. Sed audiamus tantæ rei consignatores, quos infallibilis veritatis honor orbi pene universo reddidit admirandos. Ex Collegio Duodecim Virali sanctissimorum Dei Legatorum Matthæus ita loquitur. Καὶ βαπτισθεὶς ὁ Ἰησοῦς ἀνέβη εὐθὺς ἀπὸ τοῦ ὕδατος, καὶ ἰδοὺ, ἀνεῴχθησαν αὐτῷ οἱ οὐρανοὶ, καὶ εἶδε τὸ πνεῦμα τοῦ θεοῦ καταβαῖνον ὡσεὶ περιστερὰν καὶ ἐρχόμενον ἐπ' αὐτόν. καὶ ἰδοὺ, φωνὴ ἐκ τῶν οὐρανῶν, λέγουσα, Οὗτός ἐστιν ὁ υἱός μου ὁ ἀγαπητὸς ἐν ᾧ εὐδόκησα. Joannes autem ita. Ἐμαρτύρησεν Ἰωάννης, λέγων, ὅτι τεθέαμαι τὸ

πνεῦμα καταβαῖνον ὡσεὶ περιστερὰν ἐξ οὐρανοῦ καὶ ἔμεινεν ἐπ' αὐτόν. Ex Collegio vero sanctissimorum Christi discipulorum B. Marcus ita loquitur. Καὶ εὐθέως ἀναβαίνων ἀπὸ τοῦ ὕδατος εἶδε σχιζομένους τοὺς οὐρανοὺς καὶ τὸ πνεῦμα ὡσεὶ περιστερὰν καταβαῖνον ἐπ' αὐτόν. Καὶ φωνὴ ἐγένετο ἐκ τῶν οὐρανῶν, Σὺ εἶ ὁ υἱός μου ὁ ἀγαπητός, ἐν σοὶ ηὐδόκησα. Lucas ita. Ἐγένετο δὲ ἐν τῷ βαπτισθῆναι ἅπαντα τὸν λαὸν καὶ Ἰησοῦ βαπτισθέντος καὶ προσευχομένου ἀνεῳχθῆναι τὸν οὐρανὸν καὶ καταβῆναι τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον σωματικῷ εἴδει, ὡσεὶ περιστερὰν ἐπ' αὐτόν. Καὶ φωνὴν ἐξ οὐρανοῦ γενέσθαι, λέγουσαν, Σὺ εἶ ὁ υἱός μου ὁ ἀγαπητός, ἐν σοὶ ηὐδόκησα. Tanto consensu sublime miraculum secretorum divinorum Notarii referunt. Itaq; περιστερὰ κατάβασιν τοῦ ἁγίου πνεύμα-

τος

τῶ ἐπὶ τὸν Ἰησοῦν, admirabilē descensum Spiritus sacrosancti super Dominum JESUM in specie corporis columbini meditemur porro. Sanē si veteres gentilium ritus scrutemur, diligentia maxima ex haruspicum disciplina columbæ volantes observabantur. Apollonius Rhodius in Argonauticis, columbam volatu suo naves comitatam, prosperi successus augurium dedisse, scribit. *Aureum ramum felicitatis geminæ columbæ à Venere submissæ ostendisse à Poeta singuntur. Hinc illi, quam & Deam Syriam vocant, consecratæ columbæ non sine religione colebātur in Palæstina antiquitus, & innumerabili multitudine ab omni internecione servabantur: quoniam Semiramis Veneris filia in columbam versa esset. In columbam etiam transivisse Alcidamantis & Anii Apollinis Delphici filias, vetus fabula est.* Sed & Jovem in columbam transformatum Phria Aegia vidit, si verum Aelianus tradit.

Apollonius Rhodius lib. 3.

Fabula de columbis Dodonæi oraculi duabus, quæ duabus quercubus insidentes responsa olim dedissent, & tandem sede mutata consortium divisissent, una Delphos proficiscente, ubi Apollinis claruit postea fanum, altera Jovis Hammonii petente delubrum, nata procul dubio à Noachi factis fuit. Unde & Chaoniæ aves, à Chaone, qui inverso nomine Noachus est, appellatæ fuerunt. Lætum augurium de Imperatorio fastigio obtinendo Diadumeno Macrini filio attullit aquila, columbam regiam in cunas dormientis locans. Lætum augurium Græciæ universæ fuit, albarũ columbarum conspectus primus, cũ Mardonius cum universo Persico exercitu eam premeret. Lætum Scipioni de Hannibale superando augurium fuit, columba à Jovis alite in nubes recepta, postquam diu eam accipiter exagitasset. Lætum Julio Cæsari de posteris successoribus augurium fue-

um fuerunt columbæ in palma, juxta quam castra fuit metatus, nidulantes. Classem Penelopes felicissimo auspicio antevolantis columbæ invenisse agrum, in quo Neapolis condita fuit, vetus historia tradit. Sumebant etiam de imperio obtinendo auguriũ Alexandro Severo, quod anicula quædam, eo quo natus esset die, matri ejus columbas obtulisset. Post gentium sive omina, sive auguria, sive oracula, sive miracula, quæ in columbis observarunt, non pauciora in Ecclesia de columbis tradita fuerunt. Columbam ex Hierosolymitano templo evolasse, cum velum templi scissum fuit; ex Ephremo Syro Annalium conditor Cardinalis tradit. Columbam ex ore S. Juliæ morientis egredi visã, tradit Ado Viennensis. Columbã ex ore S. Scholasticæ apud montem Cassinum migrantem in cœlum adscendere vidit Benedictus Cassinensis abbas, si credimus Romano

Card. T. 1. Baron. Ann. p. 108. in Martyrologio.

mano Martyrologio Columbæ ſpecie nitida animas duarum Eulaliarū, virginum & Martyrum, tum Barcinonenſis, tum Emeritenſis egreſſas, cœlum penetraſſe, Baronius refert. Columbæ formoſæ habitu S. Spei Abbatis anima ſuum domicilium relinquere & in cœlū eniti viſa fuit, ſi fides eſt ſive R. Martyrologio, ſive Dialogis Gregorianis. S. Reparatam ſub nefario tyranno Decio paſſam in columbino habitu animam Servatori ſuo obtuliſſe, Mombritius quidam tradit. Columbam candidiſſimæ pulchritudinis S. Chryſoſtomi caput occupaſſe, cum Byzantii Archiepiſcopus crearetur, in ejus vita apud Surium ſcribitur. Columbam ſplendidiſſimam Gregorio M. Pontifici aſſediſſe, cum aliquid in rebus divinis meditaretur, Joannes Diaconus in ejus vita tradit. Columbæ ſpecie angelum Dei vidit Allovinus Bavo, cum in mortis extremo agone immortalitatis

Idem p. 121.

Bar. p. 650.

litatis viciniam spectaret, si Surio credimus, S. Radegundem reginam suis in mari periclitantibus sub columbæ specie succurrisse, eadem fide traditur. Columba Remigio Remorum Archiepiscopo rostro ampullam unguento cœlitus allato plenam obtulit, quo Clodoveus Francorum Rex DEO consecraretur : eodem traditore. Columba miro candore nivescens, videntibus omnibus secans aera pennis, super corpus B. Elogii aligerans sedit, à quo depulsa vicinam turrim insedit, ut Alvarus in rebus Hispanicis loquitur. Columba nivea è cœlo descendens, expansis alis, lento volatu corpus Oswaldi Wigorniensis Episcopi in feretro positi protegere visa est, ut loquitur Renatus Bravonius Monachus Anglus in ejus vita. Hugoni Cluniacensi Abbati, in Concilio Hedunensi, contra Robertum Burgundum turbatorem Ecclesiæ peroraturo, columba candida in vertice

vertice capitis apparet. refert Hugo Cluniacensis Monachus. *Columbam parvam nivei candoris capiti Catharinæ Senensis insidentem vidit Pater ejus*: refert Raymundus Capuanus *in vita ejus. Columbam niveam in aere volantem, & gyrante volatu monasterii ædificandi locum designantem, & tandem aperto cœlo receptam, vigilans Berchar. abbas Luxovien. dormiens in visione Nivardus Episcopus Remensis unà vidêre.* ait Vincentius. *Cum templum Mariæ in monte Bononiæ ædificandum esset sub Victore Episcopo, quod Picciola Alberti Gallutii filia, Octaviani Platesii uxor Deiparæ voverat, Columba sarmentis collectis locum designat & circulum ædificio struendo præscribit.* ait Carolus Sigonius. *Defuncto Antero Romano Præsule, cum alius præficiendus institutæ Synodo fuisset, de repente columba è sublimi devolans, quæ similitudinem Spiritus S. super Salvatorem in specie columbæ descendentis repræsentare videba-*

tur,

tur, Fabiani capiti insedit: ait Eusebius. *Columba sacrum agentis Gregorii Agrigentini Episcopi recens electi caput occupat.* ait Simeon Metaphrastes. *Erant Ravennates cives in Oratorio congregati, ut Episcopum eligerent. Columbæ suavissimi splendoris diu supra cives circumvolitans, demum Severi capiti insedit*: ait Petrus Damianus Chrysologus. Sic & *sub Hadriano Calocerus Ravennæ Episcopus designante pulcherrimæ speciei columba salutatur*: ait Hieronymus Rubeus in Hist. Rav. *Maria Oegniacensis vidit sacerdotem inter amarissimas lacrymas sacrificantem, & Columbam exquisitissimi candoris in ejus humerū descendentem, ex quo purissimo fons scaturiebat*, ait Laur. Surius. *S. Marina Martyr, cum à Præside provinciæ variis tormentorum immanium cruciatibus exerceretur, tandem columbam vidit, quæ rostro coronam tenebat, eamq; capiti suo cum suavissimo murmure imponebat*, refert dictus autor. Beatrix

Aretina

Ateſtina *paulo ante obitum columbam candidiſſimam, defixis oculis aliquandiu ſeſe intuentem, poſtea evolantem, vidit*, ait Bern. Scardionius. *S. Amatorem, columba ad extremum uſq; halitū proſecuta eſt, & animam defuncti in cœlum extulit*: ſcribitur in vita S. Germani. *Columba S. Aecaterinæ per duodecim dies, quibus fame conficienda jacebat, alimenta præbuit*: extat in ejus vita. *S. Leonardus ſub columbina ſpecie captivo cuidam iter è ſubterraneo ſpecu monſtravit*. ſcribitur in vita ejus apud Surium. Sed & rapaciſſimo vulturi Gregorio VII. Hildebrando columba apparuit, ſi Leoni Oſtienſi credimus. *Factum eſt*, inquit, *cum Gregorius Papa Miſſarum ſolennia celebraret, Joannes quidam juxta altaris crepidinem immobilis perſtitit. Cum ad altare deflexiſſet obtutus, ſubito in extaſin raptus, niveo candore columbam, cujus erat aureum guttur, ſupra eandem aram adſtare conſpexit: quæ inde leviter advolans ac*

ſupra

supra dextrum Pontificis humerum recubans, alis protinus expansis, utrumq; protexit, ac tamdiu sic perstitit, quousq; commixtio Dominici corporis & sanguinis in calice fieret. Fuit etiam columba in capite Gregorii IX. à Leonardo Eremita visa, cum in Eremo Camaldulensium apud S. Franciscum sacris operaretur: ait Augustinus Florentinus *in Histor. Camaldul.*

Memorat F. Leo Africanus, Fessanos incredibilem columbarum copiam alere, quæ cum Syria Siciliave certare possit. Ea universa in historiam Pontificiam evolavit, adeò ubiq; columbæ murmurãt, columbæ volant, columbæ consolantur, columbæ lucent: adeò jam lucida columbæ in Christo facies non amplius miraculum est in eo regno, ubi toties beatæ animæ & angelicæ mentes, & Spiritus S. columbã induere solent. Sed profectò simplicior columbâ sit, qui ista omnia credat, &

non

non palieutrias multas sub illis retibus latere suspicetur, sub quibus persuaderetur alicui sine rubore, Archytam Tarentinum, si modò Eremita fuisset, simulacrum columbæ è ligno disciplinâ mechanicâ cõfeciſſe, quod ita erat libramentis suspensum & aura spiritus inclusa atq; occulta concitum, ut in libero aere volarit. Sed & Muhammedus, nefariæ sectæ, quæ Asiam & Africam & pulcherrimam Europæ partem conspurcavit, autor, columbam longa consuetudine ita sibi familiarem fecit, ut, quicquid ciborum in aurem reponebat, columba familiari rostro expromeret; unde mentitus impostor sceleratissimus, sub hac specie se divinis frui alloquiis & sanctum Dei Spiritum ex hoc rostro æternâ in se derivare veritatem. Itaq; Meccæ Religio est, numerosissimam columbarum sobolem trucidare, quam omnem ex Prophetica columba credunt propagatam. Perinde

Lud. Vartomannus.

atq;

atq; sub Ethnicismo Siculorum fuit delirium, qui cum Ericinam Venerē colerent, eandem verò quotannis in Lybiam proficisci crederent, & deprehenderent, sacras Veneri columbas circa id ferme tempus rarissimas aut nullas in Sicilia conspici, quas aliàs innumerabili copia, tum ob religionis sanctitatem, tum ob superstitionis immanitatem, observarunt, in eam lapsi fuerunt amentiam, ut crederent, Columbas Venerem in Lybiā comitari, eāq; reduce reverti. *Aelianus.*

Sed nos ista fabulosa, ista obscura, ista ominosa, ista superstitiosa omittamus: Nobis verissimā, clarissimā, aspicatissimā, religiosissimā columbæ speciem Jordanis ripa ostentat, cœlo evolantem, in Domino JESU fulgescentem. Gregorius Turonensis duplici charactere Jordanem memoriam inauditæ rei tueri scribit. Nam in eo loco, ubi steterat columbina specie fulgidus JESUS, Jordanem perenni *Gregor. Turonens. de gl. Mart. c. 17.*

tenni refluxu suum cursum morari, & præterea lepram divino beneficio curari. Beda & cruce lignea in medio alveo durante, & monasterio Joanni antecessori sacro, & ponte arcubus suffulto, per quem ad crucem in alveo positam oratum exire solitum, & Ecclesia quatuor lapideis cancris superposita ubi baptisandus vestimenta reposuit Christus, nobilitatum esse, recenser. Sed nobis hic cum Sarmaticis pullis pro columba nostra decertandum. Illi enim Spiritum sanctum sub peculiari columbæ specie Christo & orbi apparuisse, nec sacris monumentis tradi, nec cum rei veritate consentire, tradunt. Quod enim columbæ meminerunt sacri DEO Logothetæ, non de corpore aut phasmate aliquo columbino esse intelligendum, sed pernicitatem & repentinum Spiritus S. illapsum cum descensu columbino comparari, & hoc indicari, sicut videmus ex ipsa aeris celsitudine vehementis-

Socinus Smalcius.

mentissima concitatissimaq; velocitate columbarium suum petere columbas, ad eundem plane modum insperata felicitate & pernicitate S. Dei spiritum ex arcano divinitatis Christum occupasse. At qui verò quo modo descensus Spiritus S. in Christum è cœlo, cum descensu columbæ comparabitur, si nulla corporali imagine circumdatus Spiritus S. descendit. Visus sanè est Spiritus S. descendere more columbæ. Si visus est descendere, cur non sub imagine aliqua visus? Si sub imagine aliqua visus, cur non sub columbina potius, quam ullâ aliâ? Sed verba beatissimi Lucæ penitus Sarmatas excœcant. Ἐγένετο Ἰησοῦ βαπτισθέντος καὶ προσευχομένου ἀνεῳχθῆναι τὸν οὐρανὸν καὶ καταβῆναι τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον σωματικῷ εἴδει, ὡσεὶ περιστερὰν ἐπ' αὐτόν. Corvũ aut draconem videat, qui hîc columbam non videt. Posset autè modesto

æternæ sapientiæ indagatori sufficere, quod σωματικὸν εἶδος Lucas vocat, nisi varia in antiquitate judicia, divortium sententiarum seculis posterioribus peperissent. Videbantur nonnullis, Africanæ Ecclesiæ duo lumina, Carthaginiensis Tertullianus & Hipponensis Augustinus, statuere, columbam, quæ Jordanis ripam illustravit, verum fuisse animal. Et sanè durius loquitur Tertullianus, quando ait, spiritum sanctum tam verè fuisse columbam, quam spiritum: columbam à spiritu sancto sine diminutione substantiæ propriæ fuisse assumtam, adeoq; propter illam unionem spiritum sanctum esse columbam. Nequaquam enim illa columbæ cum spiritu sancto unio, qua in hypostasin divinissimi spiritus transferretur columba, sive sacris tabulis consentit, sive ad θεοφάνειαν illam necessaria est. Augustinus vero alibi à se ipso diver-

Aug. de ag. Chr. c. 22.

Tertull. l. de carne Chr.

sus

sus abit. Hinc in schola Aquinatis & Abulensis controversum, verumne animal, an vero species tantum & φάσις quædam columbina Christum Salvatorem in Jordane texerit? Thomas Aquinas censet, perpendendam cum Augustino corporis Christi naturam. Equidem illam speciem nudam fingere & non verissimum corpus complecti, grande scelus est & totam salutis nostræ curam subvertit. Sic & Spiritum S. *in vero* corpore columbino apparuisse, cum divinæ personæ majestate pulcherrimè conspirare existimat. Præsertim quia Spiritus Sanctus nō minus veræ minimeqs simulatæ fucatæve veritatis spiritus est, quam Dominus JESUS, perennis limpidæ veritatis fons est. Et utrumqs illi potentiæ facillimum est, quæ solo nutu tot corpora condidit & tam solida, tam firma, tam succulenta omnia fecit. Sic Augustinum amplectitur Thomas in posterioribus suis curis,

Thomas I. part. vide Cajet. ad 3. p. q. 39. a. 7.

cum in prioribus suo ingenio nixus statuerit, sufficere ad admirandã illam exhibitionem, solam columbinam speciem. Et hanc sententiam ita tuetur Episcopus Abulensis, ut tamen contrariam damnare nolit; unde conjecturas utriusque parum ad firmandam sententiam idoneas ostendit. Gandavensis vero Episcopus cum Cajetano Cardinale, cum universa Eristicorum schola pro columbina specie in Jordane solum ostensa pugnat.

Sixt. Sen. l. 5. pag. 547.

Producam ex illa acie unicum telum, quod Abulensis Episcopus ostendit, alii fortiter apprehenderunt, ut videatis, Auditores splendidissimi, quanta sit in ea schola sapientia. Sic igitur passerculi garriunt. Si fuit columba illa verum animal, pero, an postquam admirando Christi vertici insedit, vita à Deo privatum fuerit, an in agros vivum avolarit? Vita privatum à Deo quis credat animal innocentis-

Barradas in Conc. Evãg. Tom. I

simum? Hoccine est dari signi &

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn727110772/phys_0070
DFG

ſtimonii de Chriſto præclariſſimi præmium? Reſpondes, in agros avolavit. Ergo reliquis columbis aggregata illa eſt, & proli deinceps gignendæ, ut reliquæ, vacavit. Quæ quidem res tum à Spiritus Sancti puritate, tum ab illo, cujus vertici inſedit, maximè eſt aliena. Mittamus hoc telum pumilionibus cum gruibus certaturis. Quanto ſimplicius, quantò ſincerius σωμαλικὸν εἶδος cum Luca nominamus: ut ſpecies ſit columbæ, non aliqua ex communi creatarum columbarum genere, nec tamen evanida & inanis ſpecies ſit, cum ſit σωμαλικὸν εἶδος. Fuit hæc æternæ Majeſtatis pluribus retrò ſeculis comparendi ratio, ut familiaribus inter homines verſatura & cœleſtis cujuspiam arcani mortales participes redditura, corpus ſibi fabricaret ex obvia materia, quo ad ſanctam communionem conformato uteretur. Neq; hic angelico ad condenſationem mi-

nisterio opus habet immensa potentia, ut Sophistæ credunt. Imò ipsi angeli suis muneribus exequendis apta compingunt corpora, quæ officio defuncti dissipant. Hoc corpore subitaneo & mox dissoluto Abrahamo ad quercetum Mamræum, Deo sacrum lucum, æterni fœderis autor & angelus conspectus fuit. Ita cum Jacobo ambiguo eventu luctatus est. Ita Josuam fortissimum militiæ Israeliticæ caput roboravit. Itaq; Spiritus S. ex ea materiæ mundanæ parte, quæ divinæ sapientiæ placuit, columbinæ formæ corpus compegerat admirabili consilio, quod Christo descensu felicissimo mitteret. Sed jam de descensu columbinæ speciei solliciti sunt. Qui enim verum animal columbam nominant, triplici modo descendere potuisse eam, conjiciunt, seu venti impulsu, seu desiderio ad descensum, columbæ impresso, seu intimo Sancti Spiritus motu. Prima descen-

scensus causa Abulensi displicet, non solum quia naturæ ventorum repugnat, ut è cœli summitate recta lineâ terram versus motum cieant, sed etiam quia valido vento impulsa columba terræ facile allidi potuerit, nisi Deus stitisset impetum priusquam Christum columba tangeret; si autem expirasse venti impetum dicamus, columba ex vehementia motus lassata in terrâ cecidisset potius quam Christum attigisset, nisi miraculorum quandam catenam fingamus. Tertiam descensus causam, intimum Sancti Spiritus motum similiter impugnat Alfonsus Tostatus: tum quia de nullam creaturam successione quadam motus movere potest, quoniam actio quævis Dei est momentanea, tum quia si immediatæ & intimæ sanctus Spiritus operationi motum illum adscribamus, tota sacra Trinitas sub specie columbę descendisse dicenda foret. Proinde Alfonso placet ar-

cana illa impressio divina, qua desiderium volandi ad Christum ejusq; diviniſſimum verticem poſſidendi columba concepit. Qui verò exiſtimant, nudum phaſma fuiſſe id, quod exhibita columbæ ſpecie circũ Chriſtum fulſit, aut corpus quoddam obventaneum, ex aere aliâve materie ad præſentem manifeſtationem compactum, illi angelo motore ductoreque gubernatum fuiſſe deſcenſum, exiſtimant. Quaſi verò angelus movere corpus columbinum poſſit, non autem ſanctus Spiritus. Quaſi vero, qui in momento omnia condidit, facere nequeat, ut ordinato ſucceſſu exile corpus miniſtraret maximo miraculo. Quaſi verò qui potenti penetrantiq; virtute moli primigeniæ incubuit, & ſancta lege in ordinem ſuum collocata corpora eduxit, facere nequeat, ut columbula ex altiſſima ſyderum ſede ripam Jordanis proficiſceretur. Itaq; vaniſſima eſt de deſcen-

scensus autore incitatoreque sollicitudo.

Porrò exordium longissimi itineris quærunt, qui nondum verbo Dei acquiescere exorsi sunt. Clarissima vox est eorum, quos mysterio miraculoq; memorando delegit DEUS. Viderunt χηλοειδῆς οὐρανὸς, viderũt ἀνεωγμένους οὐρανὸς, viderunt ex diffissis, disseparatis, apertisque cœlis καταβαῖνον τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον, ὡσεὶ περιστερὰν, πνευματικῷ εἴδει. Hæc sanctissimæ historiæ claritudo non permittit, ut in cœlo aereo acquiescamus & ibi chasma quoddam, quendamq; hiatum fingamus, ex quo prodierit tãti secreti jubar. Cœlum æthereum vocis amplitudo admittit, & nihil obstat, quod animum pium ab illo sensu absterreat. Quid convenientius illi purissimo simplicissimoque cœlorum fluori, illi tranquillissimæ sereniss imæq; tenuitati, quam ut di-

ducatur, cedat transituræ rei novæ, spatium faciat diviniſſimo oſtento. Quid verò ad majeſtatem cœleſtis prodigii pertinétius, quam ut ex ipſis cœlorum receſſibus, ex ipsa illa luce, quæ intra cœlorum abdita fulſit, columbinum εἰδωλον, imaginem ſummo conſilio ſelectam, evolaſſe dicamus.

Abulenſ. Matth 3. p. 298. Nulla dimenſionum penetratio in ſolido cœlorum corpore extimeſcenda meticuloſis nugatoribus. Nullum ab ignis regione flámante periculum columbę in tranſitu ominandum à frigidis divinę virtutis æſtimatoribus. Neq; etiam in mora aliquod periculum, quod columbæ pervaſtiſſima corpora deſcendendum. Id verò audaciſſimum dictum eſt, non potuiſſe intra cœlorum receſſus columbinæ figurę corpuſculum formari ab eo, cujus ſanctiſſimo placito ſtant univerſa. Ut igitur maximum miraculum ſanctius intueamur, ſubmittam9 jejunos Eriſticorum æſtus Dei immor-

mortalis consilio, & permittamus splendidissimo ætheri hanc gloriam, quod sacrum æterni sancti Spiritus vehiculum emiserit. Sit siderum domicilium hæc arca, ex qua æternus Noachus columbam ad fluenta Jordanis misit.

Cæterum ad visum pulcherrimi spectaculi, quo jucundius vix orbis habuit, admissa fuit universa concio, quę circumfusa Johanni, baptismi mirandum ritum aut desiderabat, aut admiserat, aut meditabatur. Joannes sane clarissimus novi fœderis antecessor ostenti hujus gloriam à se conspectam prædicat. Imo secretissimam vim ineffabilis reclusionis cœlorum, & alitis candidissimi suo testimonio explicabat. Quorsum autem apparatus ille & cœlorum apertorum & aligerantis exinde columbę, si soli Christo ostendendum fuit, quod apparat9 exhibet? Imo verò ille columbæ sanctissimus descensus in caput

nostri mysterii, ostendere debuit, pari virtute, si non effigie simili, membra etiam divini capitis occupaturum sanctum Spiritum, quæ purissimo lavacro sistentur. Fuit quoq; tot ornamentis substructus columbæ descensus, cœleste documentum de Majestate ejus, quem exili habitu Jordanis ripa oculis mortalium exposuit. Non igitur latere oculos circumfusæ coronę potuit ille columbinus in Christum illapsus, ut non plurimos stupore percuteret. Et vox paterna auribꝰ plurimorum insonuit, & ex apertura cœli prolapsus fulgor & in fulgore deorsum volitans columbina forma oculos perstrinxerunt proximę turbę. Sane ut in tabernaculi sanctissimi & templi felicissimi inauguratione lucida nubes & gloriæ cœlestis pulcherrima species ita sanctum sanctorum compleverat, ut videretur ab Israelis posteris divinę majestatis symbolum: siccum sanctorum sanctissimꝰ ordiri desi-

desideratissimum ministerium pararet, tanto augurio commendari orbi debuit. Frustra autem omnino quærunt, qui quærunt, quorsum designato Christo columba pervenerit. Alfonsus sanè Abulensis operosè rem exequitur, & per plurimas lineas ostendit, quâta ineptiendi libidine laboret. Quorsum quæso illa species evasit, qua se Deus primo nostri generis satori in felicitatis horto ostendit, qua angelus æternus Abrahamo fœcundæ sobolis beatitudinem exposuit, quam Jacobus fortibus lacertis in auspicatissima lucta comprehendit. Quorsum iste ignis, qui circa rubum arsit, quorsum columna, quæ interdiu nubila, noctu fideli igne conspicua fuit? quorsum illa nubes, quæ se gloria Dei sive tabernaculo fœderis, sive Salomonis templo infudit. Mirandum vero est, quod inter tot fabularum reliquias Romana superstitio aliam vel integram columbam alicubi ostendat,

quæ

quæ commodissimè in Camera Lauretana nidulari posset, vel pennam aliquam, à vindice antiquitatis extractam & custoditam. Nam cum Radegundis Francorum Regina post obitum in columbę specie suis in maris æstu periclitantibus & Radegundem implorantibus succurrisset, Benesarig è navi manum extendit, èq; cauda columbæ tres pennas extraxit, qvibus in mare intinctis tempestas subsedit. Debuissent itaq; etiam Esseni, si Pontificiis credimus, Monachi, qui dubio procul aderant Christo baptizato, curasse, ut aliquid de columba reliquarum supereesset, quod serutarium Romanum ornaret. Sed nos plumas linquamus.

Surius apud Vlissē Aldrovandū Omiss. lib. 15. p. 191.

Vidistis hactenus Auditores, sub quo velo sanctissimus æternę veritatis interpres Spiritus Christum complexus fuerit, qua imagine digitum suum cœlestis Pater in Christum intenderit, quodnam è cœlorum sinubus

bus monumentum perpetuę Divinitatis in Salvatore erexerit. Columbam nimirum, quam è cœlorum scissura & pulcherrimæ lucis domicilio emisit, quam divino nutu per immensa subjacentium corporum spatia deduxit, quam comite sanctæ voluntatis interprete sonitu in Christum collocavit. Hic admirabilis descensus, hæc statua lucida, plurima mysteria nobis ostendit. Non sanè, ut ineptè quidam in regno tenebrarum ludunt, ideò columbam Deus in Christo exhibuit concioni ad Jordanem factæ, qvia columbæ in Palæstina sacrosanctæ habebantur, aut quia Mercurius fictitius Deorum nuncius alatis erat pedibus. Sanctius quiddam & excelsius sub ista imagine latet. Principio verò illud extra controversiam ponimus, sanctum DEI Spiritum non iis angustiis circumscribi, qvibus columbæ facies sese in Christo ostentavit. Spiritus namq; hic ita Dei Spiritq

Corn. à Lap. Lorin. Fr. Georg. Aldrovand

est,

est, ut Deus sit. Ut vero Deus sit, angustiis columbinæ figuræ capi nō debet. Per universum diffusus suam majestatem explicat, eademq; cum spiratore suo potentia singula gubernat. Hic & extremitates orbis & intermedia quæq; complet splendore Deitatis suæ & regni sempiterni perpetuus dictator, ubiq; S. St Trinitati templum fabricat. Hic est ex suprema illa æternorum testium Triade, quæ pari fide, summa autoritate, ineffabili simplicitate, interminabili consensu, uno sinceriſſimoq; intellectu in ipso throno cœlorum testatur. Hic admittitur in divinissimum sancti lavacri sacramentum & autoritate divina, cum patre filioq; Deo, sibi hominem fœderat. Fœdus hoc augustissimum excludit angelicas potestates & solo Deo immortali terminatur. Unde imprudentes oculos ad ostensum admirabile afferunt, qui descendisse motu quodam Sanctum Spiritum existimant,

mant, & ita è cœlis excessisse, ut in terris esse inceperit. Nullibi sine suo Spiritu est Deus Pater, qui cum nullam in universo naturam non summa majestate impleat, spiritum suum ubique omnibus proximum sistit. Et illi valde exerrant à legitima divinæ visionis linea, qui arbitrantur vel ideò S. Spiritum Deo spirante minorem esse, quia exili angustoque columbæ corpore comparuit, vel tum demum Christum à Spiritu Sancto fuisse occupatum. Neq; n. ad symboli tenuitatem contrahitur immutabilis divinitas, nec licet ex brevi vocis transitu patris caducitatem colligere. Neq; se ipso, sed visibili habitu suo Spiritus S. descendisse in Christum dicitur. Qui enim unica & simplicissima Dei Patris proles est, & arcano quodam modo cum Patre spirat unius essentiæ æternæ & immensæ dominum Sanctum Spiritum, næ ille novo descensu præsentiam sancti Spiritus non capit.

pit. Eccum vero nitidissimè sub hac columba radiantem S. Spiritum. Quid est, nisi divina & æterna majestas, cujus vox de filio dilectissimo & supremi amoris pignore auditur? Quid est nisi divina & æterna Majestas, quæ in natura hominis ad Jordanis ripa stat. Ecce quantum Joannes divinos honores offerat, divina munia prædicet, divinam gloriam agnoscat, æternitatem fateatur, Deum videat? Quid igitur est, nisi divina majestas, quæ sub columbæ nitore fulget, quæ præsentiæ singularis pignus hanc voluit esse figuram. Non hic quicquam ex supernis potestatibus angelorum est, quod se aliqua imagine offerat. Tenuiora & minora fuerunt ista omnia, quam ut ad augurium cœleste usurpari debuerint, eo in loco, ubi vim suam plena luce Deus exhibere voluit. Itaq; S. Spiritus, cœlestis, immortalis & summæ essentiæ spiritus est, ita intra Deum, ut Deus, ita Deus, ut

à Deo,

à Deo, ita à Deo ut nuſpiam & nunquam extra Deum. Jam vero, nonne alia perſona eſt, quæ ſe voce ſonora manifeſtat, quæ ſibi filium ordinis ſummi vindicat, quæ de beneplacito æterno per filium firmando loquitur? alia vero, quæ ad ripam Jordanis poſita, filius eſt, vocem Patris audit, & jam in eo eſt, ut benigni decreti paterni ſacroſanctum præſcriptum exequatur. Ita etiam nonne perſona eſt, quæ deſcendit in externo ſymbolo, quæ columbam ſeorſim ſibi tribuit, quę ſub illa figura ſigillatim Chriſtum deſignat & quidem diſtincta ab illa, quam ſub his miraculis ſtupefacta conſpexit concio. Ergo perſona divina eſt ſanctus Dei ſpiritus, ex Patris & filii ſinu prōcedēs, ſummę uniusq; cum Patre & Filio ſubſtantię. Adhæc columbę ex cœleſti luce egreſſio quid aliud adumbrat, quam ſanctum Dei Spiritum ex ineffabili & æterna luce proceſſiſſe, & habitare tamen lucem

mac-

inaccessam. Terminus egressus columbini humanis oculis notari non potuit. Sic in S. Spiritu æterna est & interminabilis spiratio, supra omnem temporum periodum est admirabilis ejus exodus. Columba purissimo simplicissimoq; candore enituit, cum Christi circum fulgeret verticem. Sic simplicissimus purissimusq; est sacrosanctus Dei spiritus, & supra angelicam sanctimoniam incommutabili fulget sinceritate & simplicitate. Rectissimum & ordinatissimum fuit columbæ cœlum egressæ iter ad Dominum JEsum; sic sapientiæ, rectitudinis & ordinis auctor est S. Dei Spiritus. Columba infallibili volatu & perniciissima contentione tot corporum tanta spatia emensa fuit, ut Christum perennem sanctitatis fontem contingeret: sic omnia penetrat sanctus Dei Spiritus, etiam profunditatem divinitatis, nullus ei locus inaccessus est, nullus eum situs excludit, nulla eum

poten-

potentia exterminat. Ipse verò supra creaturarum ordinem Dominus, inexhaustæ virtutis Spiritus omnia contingit, penetrat omnia, omnibus intimus, omnibus superior, ita nulli bi incluſus, ut non sit ubiq; præsentissimus. Et ut columbæ è cœlo egressuræ cœlorum secreta reclunduntur, cedit tam nobilis machina & transitum admittit pulcherrimi spectaculi; sic omnia patent sanctissimo Dei spiritui, cui omnia subdita sunt, quia dedit omnibus singula. Columba libero volatu cunctorum se oculis cõmunicavit, nulli invidit pulchritudinis admirandæ decus. Sic ampliſſima & uberrima est Spiritus Sancti gratia, neminem dedignatur pretioſiſſimum pignus, & quaqua versus spargit amicissimæ benignitatis radios. Columba puriſſimi innocentiſſimiq; amoris symbolum fuit antiquitati. Sanctus Dei Spiritus est intimus puriſſimusq; Dei Patris & filii amor.

Sed

Sed jam officium sanctissimi Spiritus intueamur in nitidissima columbæ imagine. Columbam Tauroste-nes Aegineta, in Olympiis certaturus, à pullis suis madidis & implumibus adhuc abstractam secum tulit, cumq; vicisset, purpura alligata eam remisit, nunciam futuram partę victoriæ, quę eodem die ex Pisa in Aeginam evolavit. Plinius Mutinensi obsidione columbam ait literas in castra retulisse. Sic sanctus DEI Spiritus literas fert æterni Patris, nunciat arcanum sapientiæ cœlestis, & columbina illa specie nobis eum ostendit, quem Liberatorem Sospitatoremq; tot piorum suspiria provocarunt. Columbam Noachus, secundum generis humani exordium, ex arca tantorum torque animalium domicilio emisit, quæ demum redux ramo olivæ diluvii transitum & tantæ molis aquarum in suam abyssum regurgitationem indicavit. Si ex arce cœlesti emittitur sanctus

ctus Dei Spiritus, & in mediis diluvii pernicioſiſſimi undis æſtibus q; aureum felicitatis ramum, JEſum CHriſtum, vitæ arborem, oſtendit, quo duce enatare ex damnatis tempeſtatibus qveamus. Moſcoviticarum rerum annales memorabile per columbas facinus memorant. Igor Rutenorum princeps, Heracleam & Nicomediam us q; hoſtili exercitu progreſſus, tandem bello ſuperatus, à Malditto Drevulianorum principe occiditur, relicta uxore Olha & filio Swatoslao. Regno interim, dum adoleſceret Swatoslaus, animoſiſſima Olha præfuit. Drevulianus Princeps legatos ad Olham mittit, qvi eam ſibi tori ſociam adlegerent. Olha Drevulianos legatos vivos obrui juſſit, miſitque ad principem, ut ſiſe ducere cuperet, ſplendidiores procos majori cum apparatu mitteret. Obſequitur Princeps, & principes viros quinqvaginta cum ſplendidiſſimis ornamentis ablegat.

Sigiſmund. Herberſt. in Moſc.

legat. Hos Olha in balneo combussit, rescripsitq; Drevulianis, expectarent adventum suum, apparerentque qvæ ad exeqvias prioris mariti apud ipsos sepulti necessaria essent. Post ad Drevulianos profecta, maritum planxit, & Drevulianorũ ebriorum quinq; millia occidit. Hoc patrato, Chioviam profecta, exercitum conscripsit, qvo Drevulianos obsessos ad deditionem ea lege adegit, ut qvælibet domus tres columbas tributi loco offerret. His singulis igniferam materiam alligavit & libertatem aeris permisit. Columbæ ad nota ædificia reversæ flammas orbi intulerunt. Sic ultra est internecionem Igoris Olha. Sanctus Dei Spiritus, non tantum aureum felicitatis ramum optimo & admirabili indicio ostendit, sed & columbas flammiferas emisit, sanctos Dei Apostolos, qui Satanæ in nobis structuem exurerent & dignis suppliciis ulciscerentur per universos homines pervagatæ

gatæ ſtragis Satanicæ atrocitatem.... Columbæ illæ ſunt duodecem Viri Apoſtolici, quos linguis igneis armavit Sanctus Spiritus, ut ardorem veræ pietatis & flãmas malo univerſo adverſarias incenderent.... Ita veteres crucis imaginem exprimere ſolebant, ut in cruce XII. columbæ apparerent, qvinque in crucis ſtipite ſub pedibus Chriſti lignoq; ſuppedaneo, quarum prima, tertia & qvinta ad dextram Chriſti reſpiciunt: ſecunda & quarta ad ſiniſtram. In ligno transverſo duæ ſunt, quæ vultum ad dextram Chriſti obvertunt. Totidem, quæ ad lævam. Supra caput Chriſti in ligno eminente tres conſpiciebantur, qvarum ſuprema ad lævam, media ad dextram, tertia quæ capiti Chriſti proximè inſiſtit, itidem ad lævam reſpectat. Id Paulinus Nolanus Severo pulchrè exponit. Pleno coruſcat Trinitas myſterio; ſtat Chriſtus: agno vox patris cœlo tonat. Et per columbam Sp. San-

Jac. Greſſ. l. 1. T. 3 de Cr. p. 142.

Sanctus fluit: Crucem corona lucido cingit globo: cui coronæ corona sunt Apostoli: quorum figura est in columbarum choro.

Cæterum columba, meratore sancto Spiritu, in Christum collocata, plurima admiranda in Christo nobis ostendit, quæ exequi sigillatim longiusculum foret. Regiam majestatem, divinam celsitudinem, consortium cum inaccessa luce, innocentissimam sanctitatem, amorem flagrantissimum, sacrificii ab eo offerendi munditiem & pretium, triumphum demum & sublimem in cœlum reditum. Columbæ enim & ut Deorum currus, & Jovis in propinanda ambrosiâ pincernę, & syderum habitatrices, & splendidæ puritatis laude passim nobiles, celebrabantur. Adamantius Origenes Spiritum sanctum columbinam imaginem selegisse existimat, quia sacramenta nobis erat propositurus demissiora, nec in eam solitudinem & altitudi-

tudinem nos deducturus, ubi se turturis imagine, quæ avis est, quæ montium jugis & arborum verticibus gaudet, ostenderet: alas autem hujus columbæ esse dona Spiritus Sancti; & ut alæ argento, collum auro ornatum est, sic S. Spiritum simpliciora simplicioribus, altiora perfectioribus conferre. Cyprianus &c. ideo columbam S. Spiritui delectam censent, quoniam simplex sit animal & lætum, non felle amarum, non morsibus sævum, non ungvium laceratione violetum, cujus ingenium est, humana hospitia diligere, unius domus consortium nosse, circa omnia demum humanitatis omnem implere legem. Chrysostomus ideo, quia mansvetudinis charitatisq; cultrix est. Et si universam antiquitatis pietatem conferamus, columbina imago majestatem & gratiam JESU sanctiq; Spiritus pulcherrimè expressit, firmavitque sic, sine imagine per aquam se nobis sociatu-

Tertullianus.

rum esse sanctũ Dei Spiritum, sicut columbæ velamento suam cum Christo unitatem cœtui stupescenti explicavit. Quid verò nostra in pulcherrimam speciem exolvet pietas? Priscis ecclesiæ temporibus, altaribus appensæ fuerunt columbæ in aurea, baptisteriis in argentea materia. Damnavit hunc ritum irrito & impudenti motu Xenaias, impius Persa, & Severus Antiochenæ sedis occupator. Et recte Antiochenī in quinta Synodo contra audax Severi facinus intercedunt. Sed nondum satis honorata est cœlestis imago, si fusili opere aut pictura memoriæ tradatur. Sit in Ecclesiis, in pietatis nostræ ardore, in cœlestium mysteriorum desiderio, in divinæ veritatis studio sanctus Spiritus ductor ad Christum, lux circa Christum, momentum in Christo. Enim induit candidissimam simplicissimamq; columbam, sanctam scripturam, cujus alam geminam, veteris & novi instrumenti libros,

libros, ſvaviſſima libratione ad nos protendit. Simus columbini pulli, evolemus ſub umbram tantarum alarum, incaleſcamus miraculorum divinorum amore, excipiamus fidei roſtro, quicquid granorum puriſſimorum nobis præmaſticat ſanctiſſimus Spiritus? Amemus induere columbinam puritatem: videamus, ut veniant ad candida tecta columbę, ut accipiat nullas ſordida turris aves. Sanctitatem & nos induamus, alasq; mentis noſtræ nulla conſpurcatione temeremus. Sit in nobis amor, ſed non talis, qualis in vernis paſſerculis & columbulis Dionæis, impuriſſimi ſeculi ſervis, eſſe ſolet, verum ſinceriſſimus inter nos, in Deum ſine mixtura creaturarum ferventiſſimus. Columbis ineſt quidam & gloriæ intellectus, noſſe credas ſuos colores, varietatemq; diſpoſitam. Agnoſcamus & nos nobilitatem conditurę noſtræ & nihil contra dignitatem originis cō-

mittamus. Simplicitas ineſt columbis: ſed & perſpicacia & memoria tenax. Ex umbra accipitrem agnoſcunt. Naturæ quadam adverſitate in eundem latentem ſub fronde latronem, ut & in bubonem, noctuam, corvos, ſerpentesq; feruntur. Verſamur nos inter deteriores feras, & ſæpe in uno, bubonis, noctuæ, corvi, ſerpentis, accipitrisq; ingenium cernimus; ſed & inferni habitator Draco infeſtus eſt. Mutuemus lucem ex aperto cœlo prolapſam, ut ſingulorum nexo9 fraudes ve internoſcamus. Eſt in ſacris infamis columba Aſſyriaca, Nabuchodonoſor, quæ pernicibus alis agros Palæſtinos involavit & perdidit. Eſt infamis columba ſeducta Ephraim, quæ idolorum ſectatrix eſt. Volitat circumpios columba forſitan immanior Aſſyriaca. Sed & columba ſeducta & allectatrix circumvolat. Caveamus palieutriæ ſive gemitum ſive murmur. Sed & qui rerum ſummæ præ-

præsunt, imaginem colúbinam, pretiosissimum Spiritus S. ostentum, juste venerentur. In aula Byzantina magnus Adnumiasta, (censor erat lustrator; exercitus, viritimq; numos erogabat.) sceptrum argenteum ferebat, in cujus fastigio columba insidebat: ut est apud Curopalatam. Non adnumiasta solum, sed & ipse Imperator & quotquot sub illo magistratq; sunt columbam sive sceptro, sive animo insidentem, sive oculis obversantem habeant. Innocentiæ, mansvetudinis, conjunctionis cum Christo, amoris, humilitatis, sanctitatis, nexus cum cœlo pulcherrimam imaginem perpendant. Quod didicit Johannes per columbam, discamus, monitore Hipponensi Episcopo, universi. Non enim columba Johannem docuit, & Ecclesiam non docuit, cui dictum est, una est columba mea. Columba doceat columbam, noverit columba, qui Joannes didicerit per columbam.

C
P
P

Corvus est, quisquis columbæ sacratissimæ imaginem non admiratur, colit, imitatur. Columba est, qui columbæ huic copulatus, gaudet excelsis interesse, sideribus misceri gestit, æterna luce frui desiderat, Christo insidere cupit, Patris vocem sonantem amat. Ille tandem sursum volitans, orbis victor, spretor caducorum, æternitatis hospes, Dei inquilinus, splendidissimis immortalis fulgoris alis circum thronum sempiternum triumphabit.

Sed jam te, diviniſſima, lucidiſſima, potentiſſima columba, Sancte Spiritus cum Patre & filio æterne, infinite, ſapientiſſime, benigniſſime Deus, ſupplices compellamus. Deſcendiſti in illuſtri ſuaviſſimaq; columbæ ſpecie ſuper eum, in quo ſumma ſanctitas, æterna majeſtas, perfecta redemtio. Oſtendiſti in eo eſſe cœleſte unguentum, quo delibati excreſcerent nobis alæ ad immortalitatem, quas immanis

nis accipiter Dracoq; Satan & implumes fecit & convulsit. Projecti fuimus, ut conculcaremur miserrimis insultibus. Tua virtute, tuo indicio evecti sumus in petram, in qua nidulari tutissimè licet. Ducis nos ad aquas salutares, ubi latentem sub fronde latronem umbra prodit. Itaq; fecisti nos columbas tibi dilectissimas, sanctas purasque: & alæ nostræ preciosissimo sanguine Christi purpuratæ mirum in modum effulgescunt. Tuere nos porrò sub umbra alarum tuarum, qua excipe fugitivam columbam, Ecclesiam tuam, tuam dilectam, tuam formosam, imò dilectam & formosam sponsam cœlestis filii, ne fiat seducta columba, ne eam Assyriaca aliqua columba opprimat, ne eam palleutria & allectatrix & exoculata columba fascinet. Sed & cœlestes alites tuos cœteros, illos Seraphicos & Cherubicos, protensis ad ejus præsidium armis alis. Solet aliàs infesta


columbis esse aquila. Fac, benignissime Deus, ut aquilæ nostræ cum columba tua bene conveniat. Geme etiam pro nobis, cordium & gemituum explorator Deus, gemitibus inenarrabilibus apud eum, apud quem infantia nostra precari sine tuo motu nescit. Indue nos columbinis virtutibus, quas in illa tua imagine nobis adumbrare voluisti. Da nobis etiam ignem tuum cœlestem, quo impuros scelerum nidos comburamq; & in tui amore sincero ardeamus. Tuere etiam Academiam, & in ea sanctitatem, munditiem, castitatem, cæterarumq; divinissimarum tuarum virtutum ornamenta intemerato semine propaga, facq; ut universi in Christo, supremo sapientiæ, sanctitatisq; fastigio, subsideant. Effice demum, Optime Maxime Spiritus, ut in sceptris & potestatibus columbina facies effulgeat. Sic nos ex orbis ruituri angustiis ad illud jubar, supra illud culmen, evolabimq;, ubi

ubi in te tuti, ex te fulgidi, sub te defensi, tecum beati, infra nos omnia despiciamus, intra nos omnia admiremur, circum nos omnia exosculemur, supra nos omnia adoremus, te, qui cum patre & filio semper es omnia in omnibus, unus Deus, sancta Trinitas, cui sit gloria & gratiarum actio perpetuis seculorũ non finiendorum decursibus, Amen. Amen. Amen.

MANTISSA.

Caspar Sampereſius Societatis Lojolæ Sacerdos juratus teſtis dixit, cum Joſephus Anchieta in præfectura Spiritus Sancti in templo Societatis, ipſo Pentecoſtes die, concionem haberet, vidiſſe ſe paſſerem Canarino ſimilem ad dicentem advolaſſe, & ſiniſtro ejus humero familiariter inſediſſe: quem cum blãdè inter dicendum à ſe repulliſſet, ipſum tamen iterum rediiſſe. Non eſt credendum, non ad teſtimo-

nium summæ innocentiæ homini ita innocenti dandum, tantæ religionis die, inter eam actionem, quæ potius avem abigeret, quam invitaret, hæc signa DEum ostendisse. Ita Sebastianus Beretarius Jesuit. in vita Josephi Anchietæ lib. 2. p. 159. Sed vide sis Ulyss. Aldrovandi Ornitholog. Tom. 2. lib. 15. p. 255.



AD

AD
DISSERTATIONEM
SECUNDAM
PROGRAMMA.

DECANUS FACULTATIS THEOLOGICÆ IN ALMA ARGENTORATENSIUM ACADEMIA,

ISAACUS FROEREISENIUS,
SS. THEOLOGIÆ DOCTOR, PROFESSOR ORDINARIUS ET ECCLESIASTES,

Amicis Crucis *Christi*, *salutem* Cruce *reparatam P.*

VOx non ad æternam tantum memoriam, sed ad miraculum etiam illa satis est, quâ electum illud Dei organum & gentium Doctor, totu[m] animo mente, oculisq; ad CHRISTI *Crucifixi* aspectum & considerationem defixus

it

ita in ejus solius cognitione & contemplatione conquieſcit ut in hæc prorumpat verba, *1. Corinth. 2. v. 2. Non judicavi me quicquam ſcire inter vos, niſi* JESUM CHRISTUM, *& hunc* CRUCIFIXUM. Eximius ac prorſus ſingularis amore flagrantis animi in Crucifixum hic affectus eſt, quô quaſi abſcondito ſublimiſſimæ Sapientiæ, quam tantus Apoſtolus poſſidebat, theſauro, ſolam eam ſcientiam profitetur, quæ velut *Moria* quædam in mundo erat deſpicatiſſima: quô, objectâ inſignis Mosaicæ Legis peritiæ & gentilitiæ philoſophiæ ermaturâ, in medio quaſi hoſtium conflictu onſtitutus; cum parte unâ à refractariis *Judæis*, velut paternarum traditionum corrutor laceſſeretur; alterâ à ſupercilioſis *Græcis*, quaſi Dei mortui prædicator ludibrio haberetur; ſub ſolo CHRISTI *crucifixi* clypeo & umbone, ſe ſatis tutum confidebat, imo certiſſimæ victoriæ trophæa, ac totius pene orbis triumphum ſibi ſpondebat. *Ego*, inquiens, 1 *Corinth. 1. v. 23.* modo CHRISTI *crucifixi* prædicatio *Judæis ſcandalum*, ſit *gentibus ſtultitia*; *Mihi tamen abſit gloriari, niſi*

in

in CRUCE DOMINI NOSTRI JESU CHRISTI, *per quem mihi mundus crucifixus est, & ego mundo*, Gal. 6. v. 14. Poscant, *dicere vult*, superstitiosi *Apellæ* signa: quærant doxosophi *Gentiles* sapientiam mundanam: *Nobis interim, qui salutem consequimur, sermo* CRUCIS CHRISTI *potentia Dei est*, 1. Cor. 1. v. 18 &c. Mirum Evangelicæ prædicationis compendium, cui tanta vis & robur inest, ut hominem eo solo utentem, in æternæ beatitatis possessionem introducat. Videas hoc clarissimè in divino nostri præconis exemplo, qui licet abditissimos quosq; mysteriorum recessus, in tertio cœlo, informatore Deo, didicerit, atque hinc non immerito divinæ sapientiæ apex, humanæ scientiæ receptaculum, & totius mundi miraculum censeri haberiq; poterit, nihilominus tn. aperte fatetur, *non judicâsse se quicquam scire præter* CHRISTUM *crucifixum*. Hic prædicationis ejus scopus, hoc argumentum, caput, basis, cardo. Hunc qui salutariter scit ac robustâ fide tenet, velut agonizans *Jacobus*, Angelum Domini, næ ille vere sapiens, qui ignorat insipiens

ſipiens eſt. Non eſt autem, ut quis arbitretur, ac ſi Apoſtolus præter CHRISTI *crucifixionem*, & ad eam pertinentia, nihil prædicâſſet. Utiq; enim & cætera ſalvificæ fidei myſteria, & cœleſtis doctrinę capita accuratè tradidit, & perfectam piè vivendi rationem & normam præſcripſit: verùm per αὐτονομασίαν loquens, ita abs ſe Chriſtum prædicatum eſſe innuit, *1. Corinth. 15. v 3.* ut ἐν πρώτοις INPRIMIS ac *præcipuè* ad CHRISTUM *crucifixum*, velut caput redemptionis, ad quod reliqua fidei myſteria, tanquam membra pertinent, & velut ſalutis fontem, ex quo omnes conſolationis rivi derivantur, reſpexerit, atque ſic præter CHRISTUM *crucifixum* nihil noſſe ſe profeſſus fuerit. Idq; hoc jure ſenſuq; optimo, quoniam tàm *priora* Incarnationis & Nativitatis, quàm *poſteriora* Reſurrectionis, Aſcenſionis, Spiritus Sancti effuſionis myſteria, ut caput præcipuum CRUCIFIXUM reſpiciunt: *priora* quidem, ut finem ſcopumq;; Nam ideò Dei filius incarnatus natusq; homo eſt, ut nos in *Cruce* redimeret:

poſte-

posteriora verò, ut fructus radicem, & effectq; causam. Etenim ea in *Cruce* promeruit, sicq; ejus resurrectio, sui nominis exaltatio, ascensus in cœlum, descensus Spiritus S. super Apostolos, Evangelii diffusio & propagato, gentilium conversio & his similia, CRUCIS Arboris fructus sunt, ac tanquam principium & fontalem originem intuentur, ut meritò Paulus mysteria alia noscens ac prædicans, se nihilominùs asserat, UNUM hoc MYSTERIUM nosse: *unum* CHRISTUM *crucifixum* prædicare, nimirum ex quo alia mysteria pendent ac promanant, & in quem velut in caput ac summam mysteriorum Evangelica prædicatio revolvitur. Ex quo porrò istud sponte sequitur suâ, CHRISTUM *crucifixum* caput & Epilogum, seu mavis ἀνακεφαλαίωσιν esse totius *Libri scripturæ*, quippe qui, Christo teste, *Luc. 24.* ubiq; prodat Dominicæ Passionis vestigia: sive consideres amplarum promissionum oracula: sive spectes legis figuras & legalia sacrificia: sive deniq; Prophetarum perpendas vaticinia: certè fermè omnia eo respiciunt, ut CHRISTUM Dominum, humanæ

mani generis redemptorem per *passionem & mortem crucis πολυμερῶς καὶ πολυτρόπως* (ut Apostoli verbis utar) h. e. multiplicitate & varietate figurarum, ænigmatum, visionum pingant. Adeò quidem, ut si omnia, quæ in *Mose*, *Psalmis* & *Prophetis* longè lateq; diffusa & dispersa sunt, in unam contrahas summam, non alius proditurus sit, quàm *Torculator* ille *rubicundus de Edom, tinctis vestibus de Bosra indutus*, *Esaiæ 63. v. 1.* qvem Propheta *Ezech. 2. v. 10.* mystico sermone describit, qvod sit *liber ille*, *qui scriptus fuit intus & foris*, h. e. *in sensu & in litera*, ut ait *Hieronymus Hic Liber*, ut semper nobis pateſcat, atq; assiduâ Lectione dulceſcat, in *S. Scripturarum Librum* digestus est, ut ibi à nobis quæratur fideliter, ibi inveniatur salubriter. Unde non inconvenienter dicitur, quod amantissimus Salvator noster toties nos ad SEIPSUM quærendum & inveniendum invitet, quoties ad scripturarum diligens scrutinium nos exhortatur. Scriptura ager ille est, in quo CHRISTUS thesaurus omnis sapientiæ & scientiæ reconditus est. Extra hunc qui Eum quæ-

rit,

rit, in cassum laborat, nec unquam invenit. Potuisset hinc equidem, si hæc & similia altiori mentis indagine perpendisset HELENA, CONSTANTINI MAGNI mater, multò brevius viæ compendium facere, nec vitam tot discriminibus objicere gratiâ quærendæ & inveniendæ CRUCIS DOMINICÆ, si Scripturæ sacræ agrum effodisset, si Propheticarum & Apostolicarum scripturarum monumenta evolvisset: ibi enim sine hæsitantiâ verum stipitem Crucis, dulcissimos & efficacissimos *Passionis Christi* fructus proferentem, auspicaciori labore eruisset, quàm cum *Hierosolymam* excurrendo, tot ac tam multiplicibus superstitionibus occasionem præbuit & fomentum substruxit. Spirant quidem magnæ devotionis muliebris odorem illa Ejus verba, quæ recitat *D. Ambrosius in Orat. funebri Theodos. Imp. Quæro*, inquiebat illa, *vexillum salutis, ubi est victoria? Ego*, inquit, *in regnis, & crux Domini in pulvere? Ego in aulis, & in ruinis Christi triumphus? Ille adhuc latet & latet palma vitæ æternæ? Quomodo me redemptam arbitror, si redemptio ipsa non cernitur?*

tur? &c. At verò, ut de eo jam nihil dicam, quod *hæc Oratio* à Doctis censeatur supposititia: certè *Eusebius*, qui illo tempore vixit, & omnium diligentissimè historias suiævi contexuit, etsi *lib. 3. de vita Constantini*, HELENÆ prolixam faciat mentionem, ut & loci Resurrectionis Christi, jussu *Imperatoris* repurgati: tamen ne verbulo hanc *inventionem Crucis* attingit, quemadmodum & cæteri Historiographi mirè in annotatione circumstantiarum inter sese dissentiunt. Sed demus hoc *Cyrillo Episcopo Hierosolymitano*, ita ad Constantium, Constantini filium Imperatorem, scribenti: *Tempore quidem Deo dilectissimi & beatæ memoriæ Constantini Patris tui, salutare Crucis lignum repertum est Hierosolymis*: Demus & cæteris autoribus eidem adstipulantibus, *Ruffino, Theodoreto, Socrati, Sozomeno, &c.* Quid quæso *Ligno Crucis* invento, &, ut ferunt, per singulare miraculum à reliquis *duabus Crucibus Latronum* distincto, tandem effectum est? Quid? Hoc nimirum, ut tandem hominum superstitiositas, relicto spirituali devotæ meditationis *Crucis & Passionis*

Domi-

Dominicæ ſucco, quo afflicta & proſtrata peccatorum corda refocillantur, aridum & nonnunquam fictitium *Crucis lignum*; vel ejus duntaxat portiunculam ſit ſectata, atque ita ſe ſatis beatam judicabat, ſi lignum aliquod vidiſſet, fuiſſetq; exoſculata. Ligno ſiquidem Crucis, ſcribit *Cyrillus Hieroſolymitanus Catech. 4. Univerſus terrarum orbis per partes repletus eſt.* Et rurſum *Catech. 13. per particulas ex hoc loco per univerſum orbem ſparſum eſt*: Addimus nos, & in *idololatricum cultum* ſub Papatu verſum mutatumque; viam ad tetrum iſtum abuſum ſternentibus ſupra citatis hiſtoricis, quorum hyberbolica emblemata recenſent *Centuriatores Cent. 4. cap. 13. pag. 1435. Baron. Tom. 3. Annal. pag. 330. ſeqq.* Quid? quod hodie ſine rubore in regno Pontificio docere non erubeſcant: eodem cultu religioſo adorari *crucem*, cum eo, qui in *cruce* pependit, peccata noſtra expians. Ita enim *Suarezius diſp. 56. ſect 2. de imagine Crucis*: *Si in ipſa cruce imago Chriſti depicta ſit ſeu affixa, non eſt dubium, quin adorari poſſit cultu latriæ, vel potius coadorari ſimul cum ipſo Chriſto.* At

hoc

hoc non est *Crucem Christi* honorare, sed honorem SOLI CRUCIFIXO debitum, per immanem idololatriam sublatum; rei insensili & humanâ manu fabrefactæ vendicare. *Qui error gentilis est*, dicit Ambrosius *& vanitas impiorum hominum*; additâ hâc gravi admonitione: *in id*, inquiens, *nobis inniten-dum curandûq; est sedulò, ut* ANIMO *ante omnia* CRUCEM *& qui in ea pro peccatis nostris affixus,* CHRISTUM *amplectamur, ab hoc omnia, juxta Pauli monitum Coloss. 3. acta, facta & cogitata exordiamur: in hoc gloriemur in vita: in hoc desinamus in morte.* Verum de his & quæ eis sunt affinia, copiosius & accuratius perorabit PERENDIE *horâ VIII.* in Auditorio majori Theologico, *Admodum Reverendus, Clarissimus & Excellentissimus Vir*, DN. JOHANNES GEORGIUS DORSCHÆUS, *SS. Theologiæ Doctor eximius, ejusdemq; Professor ordinarius, & Ecclesiastes celeberrimus, Affinis, Fautor, Amicus & in Christo frater noster honoratissimus*. Solenni enim Oratione, pro laudabili Instituto Academiæ nostræ, de isto verba facturus est ἐγκαινιστικῶς historicó-Theologico:

Quid

Quid de Historia inventionis S. Crucis Salvatoris IESU CHRISTI *antiquitùs tradita, & apud Pontificios credita censendũ, & quæ veri Christianĩ sit investigatio Crucis?* Ad hanc Orationem promptâ frequentiâ audiendam, non opus esse arbitror, multa longè petita argumenta vel conquirere, vel adscribere. Monebit quẽvis temporis præsentis consideratio, piis μελήμασι Dominicæ Passionis unicè destinatum sacratumq;. Invitabit porro Vos, scio, Reverendi Dn. Oratoris in dicendo & gravitas & suaviloquentia; afficiendis animis naturâ efformata: stimulum denique addet argumenti ad explicandum propositi, cum jucunditas, ob raritatem, tum suavitas ob varietatem. Et quod caput rei est, haud suspicandum esse arbitror, quenquam inter Academicos Cives, h. e. Pietatis & Honestatis sectatores fore, qui non verum modum rectam q rationem investigandæ Crucis CHRISTI ex ore Theologi audire & discere discupiat. Valete. P. P. ARGENTINÆ, 22. Martii, ANNO restauratæ Salutis M. DC. XXXII.

DISSER-

DISSERTATIO SECUNDA

De Crucis Inventione antiquitus tradita & pluribus credita & de vera S. Crucis investigatione.



UM omne ætatis noſtræ tempus in animis noſtris, Crucis divinæ admiratores & amatores pientiſſimi, ſacratiſſimo complexui JESU crucifixi proprium eſſe debeat, nullumque momentum tantillum ſit, quin intemerata ſanctaq; præſcriptione à Dominica CRUCE poſtuletur, quæ poſtquam orbem terrarum ſuo ſubegit imperio, univerſam ampliſſimi inter homines curſus periodum ſummo jure occupavit, antiquiſſimo tn. Eccleſiæ conſensu hoc, in quo verſamur, tempus ſelectū eſt, in quo ſummæ & inexplicabili rei meditandæ integræ & indiſtractæ con-

consecrarentur mentes nostrę, in quo sepositis orbis voluptatibus damnatisq; mundi illecebris horribilis CRUCIS amaritudo interdelitias coleretur, in quo spreta humanæ sapientiæ amplitudine intra CRUCIS angustias mentes nostræ colligerētur, immensos sapientiæ thesauros e sterili ligno haurirent, in quo neglectis grandibus humanarum opinionum voluminibus è sacrosancta CRUCIS cathedra DEI de peccatis nostris sententiam, certissimam illam & immutabilem, audiremus; in quo linguarum humanarum delitiis omissis & eloquentiæ exquisitæ pompa excussâ, linguam JESU Christi in CRUCE aridam, sitientem & pene stupentem, pro nostra salute perorantem, & cœlorum aditus referantem, observaremus: in quo, ipso etiam cælo & maximis exinde scaturientibus divitiis segni oculo præteritis, progressum è cœlo JESUM, in CRUCE pro cœli viatico pendulum, miraremur,

mur; in quo terris & quotquot terris continentur, regnis latissimis cõtemtis, supra terras in CRUCE sublimem, terras cœlo copulantem, nos Deo nectentem, CRUCIS ligno paradysi regnum struentem JESUM attenderemus: in quo animarum pene nostrarum obliti, Deo plenam JESU animam, in cruce fatigatam, & animas nostras animantem, meditaremur, in quo, corporum nostrorum incuriosi, in CRUCE JESU corpus, SS. divinitatis templum sanctissimum, innumeris vulneribus lacerum, sanguinem livori mixtum guttans, patens ad cordis penetralia, intueremur, in quo angelicos thronos prætergressi, magni fœderis sempiterni angelum in CRUCE thronos æternæ felicitatis ostendentem aggrederemur; in quo in medio SS. Trinitatis quasi positi, in CRUCE ad infallibiles amplexus obvium JESUM arderemur, amplecteremur, oscularemus. Revocandaigitur hoc tem-

rempore ad examen mens noſtra, ſcrutanda ad ſacroſanctam CRUCIS normam univerſa religio noſtra, & perpendendum, num illis ſacroſanctam crucem intueamur oculis, quos meruere caligantes dolore, flammantes amore, JESU crucifixi oculi? illis auribus myſteria crucis hauriamus, quas flagitant promptæ in CRUCE ad obſervantiam divini imperii, attentæ ad noſtra ſuſpiria, patulæ atrociſſimis blaſphemiis JESU Chriſti aures? num illam linguam accommodemus ſanctiſſimo corulentæ cruentataeq; crucis melli, quam docuit nos lingua JESU crucifixi, pro nobis inter dolores diſerta, in ſumma ſiccitate melliflua, inter ſuſpiria & mortis caliginoſas umbras paradiſum & æternæ felicitatis domicilia ſonans? num illis pedibus ſereniſſimæ crucis aræ adſtemus, quos flagitant pedes JESU, crucifixi, ut nos feliciter conſiſteremus: ut tota ſalutis noſtræ ratio conſtaret, pro hoc

bis transfixi: pedes Satanæ conculcatores, pedes è throno cœlestis majestatis humiles, pedes ad beatitudinem cœlestem anteceſſores, pedes orbe & quicquid orbis ambitu continetur ſuperiores, pedes, quibus ſe angeli ſubmittunt? Num illo corde ſanguinem ſervatorem ſoſpitatoremque, e cruce JESU rorantem, excipiamus, quod imperat nobis COR JESU, in CRUCE Deum & nos complexum, intra ſe ſublimia æternæ pacis conſilia & auxilia meditans, COR in quod ſacroſancta Trinitas ineffabili gradu deſcendit, ut nobis ad gradum priſtinum amoris cum Deo exſcendere liceret; quod copioſiſſimum ſanguinem ſtillavit, ut lapidea corda ad excipiendum DEUM cavaret. Equidem priſci Eccleſiæ doctores amplisſimis laudibus Crucem Salvatoris noſtri proſecuti ſunt. Sed & in ſequioribus ſeculis plurima in laudem S. crucis à ſcriptoribus propoſita, imò & ſuppoſita ſunt. Extant ſub

Martialis antiquissimi Lemovicensis Episcopi nomine Epistolæ, quæ tn. Bellarmino judice incertæ sunt autoritatis, in quibus CRUX Christi *armatura invicta contra Satanam, galea custodiens Caput, lorica protegens pectus, clypeus tela maligni repelleus* vocatur. Rob. Cocus p. 54. cēsuræ

Extat sub Ignatii sanctissimi martyris nomine Epistola ad Philippenses, quæ tamen adulterina est, in qua CRUX Christi, trophæum contra potentiam Diaboli, principium condemnationis Diaboli, principium mortis & interitus Diaboli dicitur. Extat sub Athanasii Patriarchæ Alexandrini nomine sermo de cruce, quem tamen Petrus Nannius, in Buslidiano Collegio apud Lovanienses Professor, suppositium pronunciat, in quo crux Christi vocatur, crux beata & vivifica, triumphatrix mortis, Diaboli profligatrix, gloria & honor Christi. Extat sub Johannis Chrysostomi Patriarchæ Constantinopolitani nomine sermo de Rob. Cocus p. 63. Nannius in Ep. nūcup.

Cruce & Latrone, quem tu. Antonius Possevinus & Jacob. Gretserus inter dubios referunt, in quo Crux Christi argumentum totius gratulationis spiritualis, totius beatitudinis causa, discordiæ amputatio, pacis firmamentum, bonorum omnium copiosa largitio, salutis indicium, lætitia nostra, sol justitiæ, spes Christianorum, resurrectio mortuorum, cœcorum dux, desperatorum via, claudorum baculus, consolatio pauperum, refrenatio divitum, destructio superborum, pœna male viventium, triumphus adversus dæmonas, adolescentum pædagogus, sustentatio inopum, spes desperatorum, navigantium gubernatrix, periclitantium portus, obsessorum murus, parens orphanorum, tutrix viduarum, justorum consultrix, tribulatorum requies, parvulorum custos, virorum caput, senum finis, lumen in tenebris sedentium, regum magnificentia, scutum perpetuum, insen-

insensatorum sapientia, libertas servorum, Imperatorum philosophia, lex impiorum, Prophetarum vaticinium, annunciatio Apostolorum, Martyrum gloriatio, Monachorum abstinentia, Virginum castitas, gaudium sacerdotum, Ecclesiæ fundamentum, orbis terræ tutela, delubrorum destructio, idolorum repulsio, scandalum Judæorum, perditio impiorum, invalidorum virtus, ægrotantium medicina, emundatio leprosorum, paralyticorum requies, esurientium panis, sitientium fons, nudorum protectio, clavis paradisi, crux pretiosa, crux vitalis, divini muneris significatio, signum nobilitatis spiritualis, thesaurus tutus ac certus, sanctimoniæ documentum, salus fidelium, cornu Ecclesiæ, hostium expugnatrix, Christianorum gladius, scutum, thorax, galea. Extat sub Aurelii Augustini Hipponensis Episcopi nomine liber *de visitatione infirmorum*, quem tamen

Rob. Cocus p. 193. ex genuinis Augustini Operibus Censores Lovanienses expunxerunt, in quo CRUX Christi, venerabile monumētū, omni veneratione dignissimū, præsidium amicis, obstaculum inimicis, triumphale vexillū dicitur. Aurelius Theodosius Cassiodorus CRUCEM vocat, humilium invictam tuitionē, superborum dejectionem, victoriam Christi, perditionem Diaboli, infernorum destructionem, cœlestium cōfirmationem, mortem infidelium, vitam justorum. Johannes Damascenus CRUCEM vocat clypeum, armaturam & trophæum contra Diabolum, jacentium excitationem, stantium fulcimentum, infirmorum baculum, ovium virgam, resipiscentium adminiculum, proficientium profectionem, animæ & corporis salutem, malorum omnium depulsionem, bonorum omnium causam, peccati extinctionem, resurrectionis plantam, vitæ æternæ lignum, ingentis precii

Cassiod. in Ps 4.

Damasc. O. T. l. 4. c. 11.

lignum,

lignum, sanctificatum sancto tactu corporis & sanguinis Christi. Extat sub Alexandri Monachi nomine de cruce sermo, quem Michael Glycas in Annalibus Byzantinis citat, de cujus ætate ipsi Jesuitæ dubitant, nec liquet, an Alexandrum Monachum Julius Pollux in Chronico, an verò hunc ille expilaverit, in quo tumida hæc ad S. CRUCEM acclamatio. *Salve crux pretiosa, salve, quia in te Dominus noster JESUS CHRISTUS exaltatus est, in quo sunt omnes thesauri lætitiæ & gratiæ, salve crux pretiosa, per te enim æterna lætitia in cœlo simul atq; in terra paratur, salve crux gloriosa, quia omnes potestates cœlorum in tua exaltatione inenarrabiles Deo hymnos offerunt, salve crux, per te enim in civitatibus, insulis, omnibusq; nationibus Ecclesiæ orthodoxorum fundamenta accipiunt, salve crux, quia per te omnium fidelium ora in sermones de Deo resolvuntur: salve crux, per te enim angeli cum hominibus super*

Gretser. T. 2. pag. 564.

Poss. in App. p. 35. T. 1. p. 49.

terram choros ducentes Christum celebrant, salve crux, quoniam per te homines in cœlis cum angelis similiter ante Deum consistunt; salve crux, per te enim omnis diabolica potestas prostrata est, & omnis operatio dæmonis conculcata: salve crux sancta, per te enim sancta & consubstantialis Trinitas ubiq; terrarũ creditur, cantatur, celebratur, glorificatur, cognoscitur, salve crux, per te enim omnis anima Christo credens salvatur. O crucis nomen, in quo magnalia mysteriorum Dei absconditæ sunt, angelis tremendum, hominibusq; venerandum. Quid enim amabilius nomine CRUCIS, quid suavius Christianis? Quid verò eâ potentius ad miracula operanda? Crux Ecclesiæ est fundamentum, Crux principatus indicium, crux angelorum voluptas, dæmonum dolor: Crux pernicies diaboli, totius mũdi astrum, semper & ubiq; resplendens, Crux murus incõvulsibilis & inexpugnabilis totius orbis: Crux sacerdotum gloria & robur: Crux exercituum armatu-

ra:

tæ. Crux civitatis præsidium, Crux Christianorum spes, Crux ægrotantium medicus, Crux benehabentium firmissima salus. Crux naufragantium portus, crux belligerantium pax. Crux orthodoxorum gloriatio gloriationũ. Crux idololatriæ solutio, pietatis instauratio. Crux virginitatis magistra & temperantiæ custos. Crux justorum tuta defensio & peccatorum pœnitentia. Crux monachorum ornamentum, piéq; viventium gloria. Crux parvulorum servatrix, juvenum prudentia, senum sustentaculum, Crux mendicantium inexhaustæ divitiæ. Crux errantium viæ index certissima. Crux in labore quotidiano requies. Crux nationũm disciplina & mũdi universi lætitia. Et quid tandem dicam, aut quomodo digne te celebrabo? Te enim solam ex omni creatura elegit & fecit armaturam inexpugnabilem contra Diabolũ & mortem. Tu prophetarum es prophetia, tu es exaltatio Apostolorum, tu es martyrum corona, tu es voluptas eorum, qui in mon-

tibus, ſpeluncis, ac terræ cavernis carnem crucifigunt cum paſſionibus & concupiſcentiis ſuis. O ineffabilis dominicæ crucis voluptas!

Gretſ. T. 2. p. 95.

Extat Andreæ Cretenſis, Epiſcopi Hieroſolymitani, neſcio cujus & unde, oratio, tota in laudes S. CRUCIS effuſa. Crucis, inquit, feſtum agitamus & fulgore collucet tota Eccleſiæ multitudo. Crucis feſtum celebramus, & lætitiæ ſplendore orbis facies refulget. Crucis feſtum celebramus, per quam tenebræ pulſæ ſunt & lumen redditum. Crucis feſtum celebramus & una cum crucifixo in ſublime tollimur, ut terra cum peccato infrà relictâ, ſuperna comparemus. Crux erigitur, & ſecum erigit humi abjectam hominum naturam. Crux erigitur, ac dæmonum ferociam terret. Crux exaltatur, & fractæ adverſariæ vires decedunt & enervantur. Crux exaltatur, & Eccleſia conventus celebrat. Crux exaltatur, & civi-

vitates festum diem peragunt, populiq; lætitia gestiunt. Crucis siquidem meminisse, insignis gaudii materia, mœrorisq; imminutio est. Si crux non esset, Christus in terra non fuisset, si Christus in terra non fuisset, non virgo, non secunda Christi generatio fuisset, non humanitatem induisset Deus, non fuisset partq, non præsepe, non fasciæ; non octavo die circumcisio, non exhibita parentibus obedientia, non ætatis progressus, non corporis incrementum, non apparitio, non baptismi usus, non patrata miracula, non Judas proditor, non Pilatus judicans, non Judæorum audacia in crucem agi indemnatum clamore postulans. Si crux non esset, mors prostrata non esset, infernus non spoliatus, non enectus noxius serpens. Magna igitur & pretiosa res crux est, magna quidem, quia multa per ipsam bona effecta sunt, & tanto plura, quanto magis Christi miraculis & cruciatibq

potio-

potiores partes tribuendæ sunt. Pretiosa vero, quia Dei passio & trophæum crux est: passio quidem, ob spontaneam in ipsa passionis mortem, trophæum autem, quia in ipsa diabolus sauciatus, & cum eo mors devicta est, atq; inferorum claustra contrita sunt, & cõmunis universi orbis salus crux facta est. O crux Christianorum spes, desperatorum servatrix, tempestate jactatis portus, infirmorum medicatrix, perturbationum expultrix, sanitatis restitutrix, interemtorum vita, lex pietatis, blasphemiæ refrænatio. Sic exclamat Cretensis & pluribus crucis laudes cumulat!

Sequitur Josephus Confessor, Archiepiscopus Thessalonicensis, cujus Orationem inter S. Crucis encomia jactant Staurolatræ, quanquam, cujus *Jac. Gretſ.* autoritatis & ætatis Josephus sit, non *T. 2. de cruce.* indicant. Sequitur Theophanes Cerameus, Archiepiscopus Tauromeniæ in Sicilia, sed recens & procul ab ea

ætate

ætate remotus, quæ de sanctis & indubitatis Apostolorum traditionibus testari possit. Sequitur Pantaleon Byzantinus Presbyter: sequitur Patriarcha Byzantinus Germanus: sequitur ejusdem sedis præsul Theophilus; sequitur Macarius Chrysocephalus, Archiepiscopus Philadelphiensis: sequitur Sophronius Patriarchæ Hierosolymitani titulo insignitus: sequitur Theodorus Monasterii Studitarum Antistes: sequitur Johannes Xiphilinus, Patriarcha Constantinopolitanus, sequitur ex eade sede Patriarcha Philotheus: sequitur Timotheus Antiochenus Presbyter, sequuntur ex illo Græcæ Ecclesiæ seculo plures alii, in quo sermonis apparatus immodicus & luxurians plurima sequentibus erroribus posuit principia. Sequemur & nos, sed aliter, & si cum Hieronymo Stridonensi crucem dicant, non lignum, sed passionem. *Ego*, inquit *magnum Ecclesiæ priscæ sydus, crucem*

dico

non lignum, sed passionem. Crux ista & in Britannia est, & in India, & in universo orbe terrarum. Felix, qui crucem & resurrectionem & locũ nativitatis Christi, & locum adscensionis Christi portat in pectore suo. Felix est, qui Bethlehem habet in corde suo, in cujus corde Christus quotidie nascitur. Quotidie nobis Christus crucifigitur, nos mundo crucifigimur & Christus in nobis crucifigitur. Felix est, in cujus corde quotidie Christus resurgit. Sequemur & nos, sed aliter, & si cum Octavio apud Minutium Felicem Cæcilio Pagano respondeat: Cruces etiam nec colimus, nec optamus. Vos plane, qui ligneos Deos consecratis, cruces ligneas, ut Deorum Vestrorum partes forsitan adoratis. Nam & signa ipsa, & cætabra & vexilla castrorum, quid aliud quam inauratæ cruces sunt & ornatæ. Trophæa vestra victricia, non tãtum simplicis crucis faciem, verum & affixi hominis imitantur. Sequemur & nos, sed aliter, & si oratores illi cum S. Jo-

hanne

hanne Chrysostomo crucem intelligant, nō quæ sæpe à barbaris & furibꝰ ablata est, sed cujus natura & essentia à fide est.

Sed & alia legimus in media Ecclesiæ ætate vestigia, quibus prisci Crucem Dominicam honorandam esse censuerunt. Extruxerunt in honorem sacrosanctæ CRUCIS ampliſſima per orbem terrarum & splendidissima templa. Res magnas & pretiosiſſimas non alio nomine insigniri digniꝰ posse censuerunt, quam quod Crucis additamento compositum esset. Ad crucem Dominicam, magna necessitate perculsi, confugerunt. In supplicationibus publicis & litaniis crucem circumtulerunt. Obtestationes & juramenta per crucem & ad crucem fecerunt. Fidei firmandæ causa vitalis crucis lignum ad alios miserunt. Incendiis ex injectu ligni crucis remedium quæsiverunt. Expeditionibus contra Persas, Saracenos, barbarosq;

alios

alios crucis signum prætulerunt. Particulas Crucis magni muneris loco ad invicem miserunt. Festa solennia in honorem crucis instituerunt. Particulas crucis è collo gestarunt. Cæsares coronam suam & cætera imperii insignia CRUCE, infamis quondam supplicii instrumento, radiare & inter gemmas atq; aurum effulgescere voluerunt. Crucis supplicium in honorem Salvatoris crucifixi sustulerunt. Numismata Crucis etiam insignibus decorarunt. Et plurima effecerunt alia, quibus sanctissimam crucifixionis salutaris memoriam in signo crucis confirmari posse existimarunt. Ex his principiis prolapsi demum sunt homines, suo beneplacito indulgētes, in publicam & impiam ligni CRUCIS adorationem. Grassatus est longè lateq; per Ecclesiam profanus error, & pulcherrimam sanctæ religionis partem occupavit & contaminavit. Ingemuerunt pii ad manifestam insani-

am &

am & sulpiriis confertissimis remedium à JESU crucifixo petiverunt. Neq; passus est in ligno passus Dominus JESUS diutius in ligno hærere, & lignum colere, quibus ille incorruptibile vivifici sanguinis pretium ad universæ salutis divitias parandas affuderat. Excitavit S. Spiritu, qui orbi errore intolerabile ostenderent & à ligno arido ad se lignum vitæ revocarent. Paruerunt plurimi, & cum veram salutis viam, gravibus senticetis horridam, salutaribus ausibus purgatam, ingressi essent, etiam ab isto errore deflexerunt. Florent immortali Dei beneficio etiamnum & inclitis clarent victoriis, qui hanc veritatem agnoverunt, satis in Dno JESU præsidii, satis in sanctissimis ejus mysteriis solatii, satis sub potenti ejus dextra patrocinii sentientes. Restitit ex adverso in primordio notati à Deo erroris Antichristi respublica, & gravibus suppliciis in eos sæviit, qui in factitio

Etitio fictitiove ligno divinam ineſſe virtutem credere noluerunt. Reſiſtit adhuc! & hoc egit integro adhinc duodecennio, bello funeſto, Germaniæ opulentæ vaſtitatem inferente, ut cum cæteris erroribus nos ad ligni denuo revocaret, aut flammantibus lignorum ſtruibus uſtulandos traderet. Ne verò armis ſolum errorem manifeſtum tueri velle videantur, præſidia etiam quædam ex antiquitate accerſunt, quibus Crucis ligneæ cultum perſvadeant incautis ad multiplices fraudes, & ad veram antiquitatem, quæ verbum divinum eſt, non reſpicientibus. Inter illa eſt maximum, *inventio Crucis illius miraculoſa*, in quâ Orbis cum Deo pacarius & Salvator JESUS pepēderit. Fuiſſe ſc. arcano ſancti Spiritus motu Helenam Conſtantini Imperatoris Maximi matrem excitatam, ut Hieroſolymam proficiſceretur, montem Moria, inq; eo Golgatham gentilibus inquinamentis libera-

beraret, dissiparet aggerem, quo vestigia JESU crucifixi obvallarunt Ossores Christianorum monumentorum, in ipsa denique terræ viscera scrutaretur, & lignum sacrosanctæ crucis erueret, eo cumprimis tempore, quo requies Ecclesiæ inter immanes persecutiones diu circumactæ serenissimo Constantini Imperio data fuit, ut tribus seculis in abdito terræ delitescens, nunc tanto miraculo sine putredine restituta, publico orbis Christiani cōsensu religiosè coleretur, visitaretur, adoraretur. Quid de illa Crucis Dominicæ inventione statuēdum, quam dubia atq; incerta sit, ipsa veræ antiquitatis inspectione ostendemus, & simul ad veram SS. Crucis investigationem cum Deo deducemus. Faveat & juvet cœlesti aura Dominus JESUS: & Vos Auditores observandiss. honoratiss. benevolentiæ auram leniter & humaniter adspirate!

Sic

R. Bell. de Im. Sanct. lib. 2. c. 27.

Sic igitur disputat ex adversarii parte Cardinalis Romanæ superstitionis Patronus. *Ab inventione Crucis multiplex testimonium sumitur, quod veneratio ligni crucis Deo placeat. Primum, quod non permiserit Deus lignum illud demergi in mare, vel flammis absumi. Quod enim hostes Christianorum conati sint abolere crucem, ejusq; omnia vestigia, patet ex eo, quod altissimè crucem sub terram absconderunt, & in loco crucis Veneris simulacrum, in loco resurrectionis Jovis, in loco nativitatis Adonidis posuerunt: ut refert B. Hieronymus in Ep. ad Paulinum de institutione Monachi. Cur quæso non cremarunt crucem, cum vellent & possent, nisi quia Deus abstulit illis mentem, ut ad solatium piorum lignum pretiosissimum servaretur. Secundum; quod Deus eo tempore crucem inveniri voluerit, quo tutò poterat coli, nimirum ad initium Imperii Constantini. Nam si ante reserata fuisset, regnantibus persecutoribus, magis ludibrio, quam hon-*

nori

nore accepta fuisset; si autem diu post tempora Constantini invēta fuisset, fraudata fuisset sancta crux debito honore. Tunc igitur primum divina providentia Crucem manifestavit, cum primum potuit coli. Tertium, quia per evidentia miracula demonstratum est, esse veram crucem & proinde crucis inventionem ac revelationem illam esse à Deo. Nam cum tres cruces simul inventæ fuissent, nec posset planè crux Domini à crucibus latronū internosci, admotæ fuerunt omnes tres ad mulierem quandam in extremis agentem, & cum duæ priores nihil egissent, tertia admota mulieri, mox illam reddidit sanam. Nec solùm mulierem ægram sanavit, sed etiam mortuum virum excitavit eodem tempore. Nec solum crux miraculo illo claruit, sed etiam clavus, quem Helena ad Constantinum misit. De eo siquidem Judæi dicebant; Ecce & clavus in honore est, & quem ad mortem impressimus, remedium salutis est atq; invisibili potestate dæmones torquet.

quet. Quartum; quia Helena non ex se incitata est ad crucem Domini quærendã, sed divinis admonita revelationibus. Quintum, quia ex illo tempore summo desiderio tenebantur fideles habendi, aut certè videndi particulas veræ crucis, quod ad magnum crucis honorem pertinere nemo ignorat. Cyrill. Hier. Catechet. 10. Inprimis B. Cyrillus Hierosolymitanus dicit, ex ligno crucis hierosolymis invento totum mundum repletum, plurimis inde particulas petentibus & impetrantibus. Constantinus particulam crucis statuæ suæ inseruit, quam Constantinopoli collocavit, existimans, per eam crucis particulam totam urbem custodiendam, ut refert Socrates, Eutropius, Paulus Diacon. Gregorius Nyssenus, in vita Macrinæ Sororis, scribit, eam gestare solitam ad collum Crucem argenteam, cui inserta erat particula veræ Crucis. Paulinus ad Severum scribit, se mittere, tanquam summum donum, particulam crucis veræ, auro inclusam. Idem in

natali S. Felicis scribit, se restinxisse incendium maximum ostensa particula crucis, quod nulla arte extingui poterat. *Ipse*, inquit, *domum remeans, medicum, sed grande salutis de crucis æternæ sumtum mihi fragmine lignum promo, tenesq; manu adversis procul ingero flammis.* *Chrysostomus scribit*, eos, qui potuerant potiri particula crucis, auro inclusam servare, ac inde se valde ornari ac custodiri, meritó credere. *Evagrius & Procopius narrant*, Apameæ fuisse particulam S. Crucis, quam sibi ostendi populus voluit, cum civitas diu obsessa jamjam capienda videretur, ut nimirum conspecta cruce Domini alacrius morerentur. Sed cum ab Episcopo crux illa ostenderetur semel, & iterum & tertio; effulsisse semel & iterum, & tertio splendidum ignem, non comburentem, sed lucentem, quo territi hostes obsidionem solverint. *Gregorius M. Pontifex ad Reccharedum Regem Visigotherum mittit*

crucis

crucis particulam, ut eximium munus.

Ambr. Ep. 17. Mar- ad cell.

Ambrosius de Helena Imperatrice scribit, quod crucem in capite Regum levaverit, ut Crux Christi in Regibus adoretur. Hieronymus desiderat illam diem, qua licebit ipsi speluncam Salvatoris intrare, & crucis lambere lignum. Ita de inventione crucis perorat Cardinalis, quem sequuntur alii; Annalium Conditor Baronius Cardinalis, Thomas Waldensis, Cardinalis Hosius, Augustinus Fivizanius, Alfonsus Ciacconius, Arnoldus Meermannus, Jac. Gretserus, Severinus Binius, Gilb. Genebrardus, Thomas Bozius, magna in adversario regno nomina. Nominant vero ex antiqua Ecclesiæ testes, clarissima priscis seculis nomina, quibus veritatem historiæ de inventa CRUCE roborant, Paulinum Nolæ in Campania Episcopum, Hieronymum Stridonensem, Ambrosium Mediolanensem Episcopum, Chrysostomum Constantinopolitanum Patriarcham, Andream Cretensem

Cretenſem, Cyrillum Hieroſolymitanum, Euſebium, Proſperum, Severum Sulpitium, Ruffinum, Theodoretum, Sozomenum, Socratem, Gregorium Turonenſem, Nicephorum, Juſtinianum Imperatorem, Leonem Imperatorem, Petrum Damianum Chryſologum, Alexandrum Monachum, Georgium Hamartolum.

Ut autem totius negotii, ut antiquitus tradita eſt, nobis clariùs elucescat ſeries, audiamus in obitum Theodoſii diſſerentem Ambroſium, ſi modo antiquus ille & S. Epiſcopus laudationis illius funebris autor eſt. *Nunc*, inquit, *ſe auguſtæ memoriæ Theodoſius regnare cognoſcit, quando in regno Domini JESU eſt, conſiderat templum ejus. Nunc ſibi rex eſt, quando recipit etiam filium Gratianum, & pulcherrima & dulciſſimi ſibi pignora, quæ hîc amiſerat, quando ejus Flacilla, fidelis anima, adhæret Deo, quando Patrem ſibi reddit gratulatur, quando Conſtantino adhæret. Cui*

licet baptismatis gratia in ultimis constituto omnia peccata dimiserit, tamē quod primus Imperatorum credidit, & post se hæreditatem fidei principibus dereliquit, magni meriti locum reperit, cujus temporibus completum est illud Prophetium: In illo die erit, quod super frenum equi est, sanctum Domino omnipotenti. Quod illa s. memoriæ Helena mater ejus, infuso sibi Dei spiritu revelavit. Beatus Constantinus tali parente, quæ Imperanti filio divini muneris quæsivit auxilium, quo inter prælia quoq; tutus assisteret & periculum non timeret. Magna femina, quæ multò amplius invenit, quod Imperatori conferret, quam quod ab Imperatore acciperet. Anxia mater pro filio, cui regnum orbis Romani cesserat, se dedit Hierosolymam, & scrutata est locum dominicæ passionis. Stabulariam hanc primò fuisse asserunt, sic cognitam Constantio seniori, qui postea regnum adeptus est. Bona stabularia, quæ tam diligenter præsepe domini requisivit.

Bona

Bona stabularia, quæ stabularium non ignoravit illum, qui vulnera curavit à latronibus vulnerati. Bona stabularia, quæ maluit existimari stercora, ut Christum lucrifaceret. Ideò illam Christus de stercore levavit ad regnum. Venit ergo Helena, cœpit revisere loca sancta, infudit ei spiritu, ut lignum crucis requireret, accessit ad Golgatham & ait, Ecce locus pugnæ, ubi est victoria? Quæro vel vexillum salutis, & non invenio. Ego, *inquit*, in regnis, & crux Domini in pulvere? Ego in aulis, & in ruinis Christi triumphus? *Ille* adhuc latet, & palma vitæ æternæ? Quomodo me redemtam arbitror, si redemtio ipsa non cernitur? Video, quid egeris, diabole, ut gladius, quo peremtus es, obstruere, tur. Sed Isaac obstructos ab alienigenis puteos eruderavit, nec latere aquã passus est. Tollatur igitur ruina, ut vita appareat. Promatur gladius, quo veri Golia caput est amputatum. Aperiatur humus, ut salus fulgeat.

Quid egisti diabole, ut absconderes lignum, nisi ut iterum vincereris? Vicit te Maria, quæ genuit triumphatorem, quæ sine imminutione virginitatis edidit eum, qui crucifixus vinceret te, & mortuus subjugaret. Venceris & hodie, ut mulier tuas insidias deprehendat. Illa quasi sancta dominum gestavit, ego crucem ejus investigabo. Illa generatum docuit, ego resuscitatum. Illa fecit, ut Deus inter homines videretur, ego ad remedium peccatorum divinum de ruinis elevabo vexillum. *Aperit itaq; humum, decutit pulverem; tria patibula confusa reperit, quæ ruina contexerat, inimicus absconderat. Sed non potuit obliterari Christi triumphus. Incerta hæret, ut mulier: sed certam indaginem s. spiritus inspirat, eò quod duo latrones cum Domino crucifixi fuerint. Quærit ergo medium lignū. Sed poterat fieri, ut patibula inter se ruina confunderet, casus mutaret, & inverteret. Redit ad Evangelii lectionem, invenit,*

venit, quia in medio patibulo prælatus titulus erat, JESUS Nazarenus Rex Judæorum. Hinc collecta est series veritatis, titulo crux patuit salutaris. Hoc est, quod petentibus Judæis Pilatus respondit, quod scripsi, scripsi: id est: non ea scripsi, quæ vobis placerent, sed quæ ætas futura cognosceret, non vobis scripsi, sed posteritati, propemodum dicens: habeat Helena, quæ legat, unde crucem Domini recognoscat. Invenit ergo titulum, Regem adoravit, non lignum utiq; quia hic gentilis est error & vanitas impiorum: sed adoravit illum, qui pependit in ligno, scriptus in titulo, illum, inquam, qui sicut scarabæus clamavit, ut ut persecutoribus suis peccata donaret. Avida mulier festinabat tangere remedium immortalitatis, metuebat calcare sacramentum salutis. Læto corde & trepidanti vestigio, quid faceret, nesciebat. Pertendit tamen ad cubile, veritatis lignum refulsit, & gratia micuit. Et quia jam feminam visitaverat Christus in Maria, spiritus in

Helena visitaret, docuit eam, quod mulier ignorabat & deduxit in viam, quam mortalis scire non poterat. Quæsivit clavos, quibus crucifixus est Dominus, & invenit. De uno clavo frenos fieri præcepit: de altero diadema intexuit: unum ad decorem, alterum ad devotionem. Visitata est Maria, ut Evam liberaret, visitata est Helena, ut Imperatores redimeret. Misit itaq; filio suo Constantino diadema gemmis insignitũ, quas pretiosior ferro innexas crucis redemtionis divina gemma connecteret. Misit & frenum, utrog; usq; est Constantinus, & fidem transmisit in posteros Reges. Principium itaq; credentium Imperatorum sanctum est, quod super frenum; ex illo fides, ut persecutio cessaret, devotio succederet. Bonus itaq; clavus Rom. Imperii, qui totum regit orbẽ ac vestit principum frontẽ, ut sint prædicatores, qui persecutores esse cẽsuerũt.

Sulpit. Sever. l. 2. hist. Audiamus insuper Severum Sulpitium Bituricensem Episcopum, qui sic enarrat factum. Hoc temporum

era-

tractus, sub Imp. Constant. M. domitis tyrannis mirum est, quantum invaluerit religio Christiana. Tum siquidem Hierosolyma horrens ruinis, frequentissimis & magnificentissimis Ecclesiis est adornata. Namq; Helena, mater Principis Constantini, quæ Augusta cum filio conregnabat, cum Hierosolymam agnoscere concupisceret, reperta ibi idola ac templa protrivit: mox usa regni viribus, basilicam in loco Dominicæ passionis & resurrectionis & adscensionis constituit. Illud mirum, quod locus ille, in quo postremum institerant divina vestigia, cum in cœlum Dominus nube sublatus est, continuari pavimento cum reliqua stratorum parte, non potuit. Siquidem quæcunq; applicabantur, insolens humana suscipere terra, respueret, excussis in ora apponentium sæpe marmoribus, quin etiam calcati Deo pulveris adeò perenne documentum est, ut vestigia im-

preſſa cernantur. Et cum quotidie confluentium fides certatim Domino calcata diripiat, damnum tamen arena non ſentit & eandem adhuc ſui ſpeciem, velut impreſſis ſignata veſtigiis, terra cuſtodit. Ejusdem Reginæ beneficio crux Domini tum reperta, quæ neque in principio obſiſtentibus Judæis potuerat conſecrari, & poſtea dirutæ civitatis oppreſſa ruderibus, non niſi tam fideliter requirenti meruit oſtendi. Igitur Helena primum de loco paſſionis certior facta, admota militari manu atq; omniū provincialium multitudine in ſtudia Reginæ certantium, effodi terram & contigua quæque atq; vaſtiſſima ruinarum purgari jubet, mox precium fidei & laboris, tres pariter cruces, ſicut olim Domino & latronibus duobus fixæ erant, reperiuntur. Hic verò major dignoſcendi patibuli, in quo Dominus pependerat, difficultas omnium animos mentesq; turbaverat, ne error

rore mortalium, forsitan pro cruce Domini latronis patibulum consecrarent. Capiunt deinde consilium, ut aliquem recens mortuum crucibus admoverent. Nec mora, quasi Dei nutu funeris extincti solennibus exequiis deferebatur, concursuq; omnium feretro corpus eripitur. Duabus prius frustra cruciabus admotis, ubi Christi patibulum attactum est, dictu mirabile, trepidantibus cunctis, funus excussum & inter spectatores suos adstitit: crux reperta, dignoque ambitu consecrata.

Audiamus demum Paulinum Nolanum! Regina illa venerabilis, ut venit Hierosolymam, diligenter & piè locis illis & circa omnibus, divinorum curiosa insignium; & oculis haurire gestiens fidem, quam piis auribus literisq; perceperat, crucem Domini studiosissimè inquirere adorsa est. Sed quæ via & ratio inveniendi subesset, cum index idoneus nemo inveniri

posset, ubi memoriam & curam religiosæ conscientiæ vel observantiæ & antiquitas ævi & superstitionis impiæ diuturnitas abolevisset. Verum ipso omnium & terris & animis opertorum conscio & teste Deo, fidelis mulier sanctum Spiritum per affectum pium meruit; quo adspirante, cum rem ab humana conscientia divinitus remotam frustra diligès requisivisset, de loco tantum passionis certior fieri studuit. Itaq; non solum de Christianis doctrina & sanctitate plenos viros, sed & de Judæis peritissimos, ut propriæ (qua miseri & gloriantur) impietatis indices exquisivit, & avitos in Hierosolymam congregavit, tum omnium una de loco testificatione confirmata, jussit illico, urgente sine dubio conceptæ revelationis instinctu, in ipsum locum operam fossionis accingi, parataq; mox civium & militari manu, brevi laborem istius molitionis hausit, & contra spem omnium,

mnium, sed secundum ipsius tantum reginæ fidem, alta egestione reseratis terræ sinibus, abditæ crucis arcana patuerunt. Sed cum tres pariter cruces, ut quondam fixæ Domino & latronibus steterant, repertæ fuissent, gratulatio repertarum cœpit anxia dubitatione confundi justo piorum metu, ne forsitan aut pro cruce Domini patibulum latronis eligerent, aut salutare lignum pro stipite latronis abjiciendo violarent. Respexit pias fideliter æstuantium curas Dominus, & ipsi potissimum, quæ tam piæ sollicitudinis princeps erat, hujus consilii lumen infudit, ut aliquem recens mortuum inquiri & inferri juberet. Nec mora, verbum factum, cadaver illatum est, deponitur, jacenti una de crucibus admovetur, sed eorum ligna mors sprevit. Postremo Dominicam crucem prodit resurrectio, & ad salutaris ligni tactum morte profugâ funus excussum & corpus erectum est

tre-

tremefactisq; viventibus stetit mortuus, & funebribus, ut Lazarus quondam vinculis expeditus, illico inter expectatores suos vivus incessit. Ergo crux Domini tot operta ætatibus & Judæis in tempore passionis abscondita, neq; gentibus in ædificatione fani sine dubio ad ipsam fabricam egerentibus revelata est: nonne divina manu latuit, ut nunc inveniretur, cum religiosè quæreretur? ita ut crucem Christi decuit, experimento resurrectionis inventa & probata crux Christi est, dignoq; mox ambitu consecrarur condita in passionis loco Basilica, quæ auratis coruscalaquearibus & aureis dives altaribus, arcano positam sacrario crucem servat, quam Episcopus urbis ejus, quotannis, cum pascha agitur, adorandam populo princeps ipse venerantium pronit.

Volupe esset etiam reliquos, qui inventæ crucis historiam texuerunt, audire, nisi temporis angustiæ aliud imperarent,

perarent. Nobis ergo considerandatanto apparatu consignatæ historiæcertitudo. Et quidem principio vixalio titulo sese commendat hæc inventæ crucis historia, quam reliquiæplurimæ aliæ, quas magno numeroostentat Papatus. Guntherus Monachus Cœnobii Parisiensis, qui historiam de Constantipoli captæ scripsit, in eaque & Balduini Flandri & Martini Abbatis Parisini peregrinationem descripsit, testatur, Martinum Abbatem retulisse secum in Germaniam nonnihil de lapide, super quo Jacob dormivit. Esse in Corsica apud sanctæ Catharinæ de Silco exiguum quid terræ, ex qua formatus fuit Adam, didicimus ab Antonpetro Philippino, Archidiacono Mariano, lib. XII. historiæ Corsicæ. Ex tractatu rerum mirabilium, quæ Romæ sunt, cognoscimus, arcam ostentari fœderis, & virgam Aaronis ac Mosis, quas tamen constat nusquam visas aliquot ante Christum seculis. Ragu-

Poßev. App. l. 6. p. 714.

Ragusini ostentant linteum à pastoribus allatum ad Christum infantem, teste Henrico Beauvanio, in itinerario Hierosolymitano. Martinus ille Guntheri detulit aliquid de lapide, super quem Christus fuit in templo præsentatus. In Corsica apud eundem Antonpetrum, aliquid est ex lapide, in quo idem allocutus Samaritanam, aliquid de cereo, cum quo inducta S. virgo ad purificationem. In tractatu de Mirabilib. Romæ, est altare, quo Baptistes utebatur in deserto. Christi unam lacrymulam apud se extare Vendocini, habent pro certo, ex iis, quæ extiterunt, cum Lazarum defleret. Testis oculatus notavit ex illa theca hos versus. Ἔξιθι, λάζαρε δεῦρο καὶ ἔθρεψεν Ἰησοῦς ὀμμασιν ἀκλαύστοισιν ἀμβρόσια δάκρυα λείβων. Christi præputium tum Romæ ad Johannis Lateranensis, tum Charronii apud Pictones adoratur. Sic multum sanguinis

Jesu

JESU Christi passim ostenditur & Mantuæ, & Westmonasterii & Brixiæ, & alibi, de quo Platina in Leone III. & Baronius T. 9. Annalium & Bzovius T. XIII. Martinus Guntheri attulit ex Palestina aliquid de loco nativitatis, de loco Calvariæ, de sepulchro, de lapide revoluto, de loco ascensionis, de loco ubi est captus. Antonpetrus in Corsica laudat frustillum lapidis s. sepulchri, lapidem ex monte Calvariæ, ex præsepe, ex loco, ubi quadragesimam Christus perfecit. Præsepe non est Romæ tantùm, sed etiam alicubi in Hispania, apud quos item subucula est. Nicolaus Thuanus Carnotensis Episcopus in explicatione Missæ testis est, religiosè servari à Carnutibus illustrem Camisian, quam induta erat Virgo tum, cum obumbraretur à Spiritu Sancto, donatam à Carolo Calvo Rege Galliæ. Aliam ostentant Aquenses in nostra Germania Pepla, cingulum, calceos, pectines,

Disp. de Cœna. Penta De cad. p. 285.

Zonam

Zonam, capillos & quid non præterea varii loci vendicant. Etiam Virginei lactis vasculum miro candore haberi in Ecclesia Lateranensi Fl. Blondus scripsit instauratæ Romæ tertio. Possem his similia plura ex Francisci Gonzagæ Franciscanorum Generalis historia Seraphica recensere. Qui igitur Pastorum Bethlehemiticorum crumenas & pedum, Christi incunabula, præsepe, stramen, terram, tunicam, metretas Cananæas, discos, patinam, spongiam, lanceam, columnam, flagella, spineam coronam, instrumenta passionis alia habent, ecquidni CRUCEM haberent, maximum passionis Dominicæ monumentum Habent sanè, sicut lanceam, quam ostentat Card. Bellarminus, Antiochiæ divina revelatione repertam, Anno D. 1098. insigniq; miraculo nobilitatam; ex Guilielmo Tyrio, Paulo Æmilio l. 6. de bello f. lio, Dodechino Mariani Scoti continuatore. Misit eam sc. ad Paschalem II. Pisa-

Pisanus Pontificis legatus. Literas ejus Baronius annalib9 suis dignas existimavit, & inseruit Anno Millesimo Centesimo. Robertus ejusdem ævi Monachus à Justo Reubero editus, de Christianorum Principum in Syriam præfectione, & post devictos Saracenos Hierosolymitani Regni occupatione, addit iis, quæ Pisanus de lancea refert, eam in somnis à S. Andrea revelatam, indicatumq; ipsissimum locum, in qua lateret. Sed profecto ludicram oportet fuisse lanceam, nullo armatam ferro, si verum narrant historici. Nam Bajazetes Turcarum Imperator id ferrum Innocentio IIX. misit, magnum munus, teste Onuphrio Pancinio in Innocentio. Alia lancea est, quanquam Franciscus Moschus, *tractatu de reliquiis*, vult esse eandem, nec nostra interest, utrum verius, quam cum esse apud Rudolfum Burgundum acceptam à Samsone Comite. Henricus Saxo inaudisset,

Ottonis

Ottonis filius, primò amicè postulavit, deinde renuenti minas addidit, se igne ferroq; ejus provinciam vastaturum. Cum ne ita quidem moveret, factum divinitus, ut flecteretur Rudolfus, consentiretque ad Imperatorem transire hoc tantum χειμήλιον, acceptis tamen multis magnisque auri & argenti muneribus, sed & Sveviæ parte non minima. Ne fabulam putes, descripta est ex actis S. Gerhardi à Baronio Card. *in Annal. Anno 929.* Cranzius *l.* 3. *c.* 6. zius *in Saxonia* compositionem lanceæ hujo recensetadspectu mirabilē, juxta mediam spinam fenestellis intercisam, crucibus de dominico ligno insignitam. Luitprandus Ticinensis, habuisse juxta limbum utrobique fenestras, in iisq; cruces, ex clavis, quibus affixus olim Dominus. Sigebertus Gemblacensis putat, lanceam ex clavis cusam esse, quod quia monstrosum est; Baronius mollivit, ex aliqua

Cranzius *l.* 3. *c.* 6.

Luitprād. *l.* 4. *c.* 12.

qua parte clavi alii ferro permixta elaboratam censens.

Sed revocemus Pontifices ad Crucem! Quis credat, tres Cruces, trib⁹ integris seculis sub terra defossas, sine putredine magno miraculo conservatas delituisse, qui miracula Dei ex vero fine æstimat, qui perpendit, non nisi ad majestatis divinæ gloriam illos extra ordinem divinæ conservationis motus fuisse adhibitos, qui animadvertit, longè majora & sublimiora CRUCE periisse, longè diviniora & cum mysteriis divinis conjunctiora in eo statu relicta fuisse, in quo fatalem corruptionis vim senserunt, & ex usu atq; consuetudine hominum subducta fuerunt. Consideremus agri Hierosolymitani in montibus & vallib⁹ per tria secula à Christo nato horrendam concussionem, subversionē, dissipationem. Quantum in obsidione Vespasiani in viscera terræ itum, & quantopere vallis atque munimentis

passim

passim in collibus atq; montibus circumsepta urbs, in quibus abdita quæque præsidii loco tentata. Accessit post Romanorum juxta rudera veteris Solymæ nova structura, qua mœnia, templa, arces, ædificia alia præstantissima condita, ubi quicquid circum circa terrarum fuerat, penitissima suffossione tentatum est. Et si vel maximè mirandam DEI custodiam circa dominicam CRUCEM admitteremus, quid hæc ad reliqua Latronum patibula? Quanquam & Latronis conversi crucem, veluti vivifico JESU Christi sanguine conspersam, in Sardinia quondam ostentarint, adorarint, qui pluribus in locis CRUCEM quam crucifixum sua opinione sibi præsentem habent. At quorsum ad damnati latronis CRUCEM conservandam & tot annorum decursibus; ab interitu tuendam miraculum? forsan ut impudentes fabularum Conditores, & tot animarum per hæc mendacia latrones

trones illo supplicio mactarentur. Fuit CRUX DOMINICA in loco frequentibus ejusmodi suppliciis notato posita, & si Crucicolis credimus, more Romano ibi etiam exacto supplicio sub terram defossa. Juxta eam & illæ, in quibus Latrones pependerunt. Negabimusne, præter tres has cruces ullas alias in eodem suppliciorum Romanorum theatro defossas fuisse? Atqui ita dicendum foret, neq; ante, neque post Christum quemquam in Golgatha more Romano crucis supplicium tulisse. At hoc contra temporum illorum statum esset. Fuit sanè crucifixionis supplicium Judæis sub Romanum Imperium concessis notissimum frequentissimumq;. Plura itaq; ejusmodi patibula circa Golgatham defossa fuisse, nimis clarum est. Ea deterioris vel ligni, vel conditionis fuisse, quam latronis blasphemi, quis dicat? Aut igitur duraverunt omnia tamdiu, & ita plura, non tria tantum

Helena

Helena reperit; aut si hæc putredine consumta fuerunt, quis illud perpetuum fuisse sibi persuadeat? Imo si per tria secula sub terra cruces ab Helena repentæ duraverunt, quomodo post in apricum tractæ perierunt? Porro si CRUX Dominica cum duabus latronum patibulis ab Helena erutа & in conspectu plurimorum Christianorum, Judæorum, Gentilium sive ex provincia universa ad effossionis opus convocatorum, sive ex aula Byzantina Hierosolymam in Comitatu Helenæ ductorum in lucem producta, visa, miraculis clara fuit, cur in Ecclesia, etiam eo tempore, quo jam publicæ luci consecrata fuit Dominica crux, de forma CRUCIS tanta sententiarum discordia? Fuerunt, qui crucem Christi commissam censuerunt, h. e. nullo ligno supra transversarium lignum extante, qui se monumentis picturarum & sculpturarum antiquissimarum hanc formam præ

se ferentium tuentur. Fuerunt, qui CRUCEM Christi immissam, h. e. quatuor finibus seu extremitatibus conspicuam fuisse judicarunt. Alii suppedaneum in CRUCE Christi fuisse, sibi persvasum habent, alii negant. Sic & de materia CRUCIS onerosas movent controversias. Venerabilis Beda inquit, CRUX *Domini de quatuor lignis facta est, qui vocantur cupressus, cedrus, pinus & buxus, sed buxus non fuit in cruce, nisi tabula de illo ligno super frontem Christi fuit, in qua conscripserunt Judæi titulum. Cupressus fuit in terra usq; ad tabulam, cedrus in transversum, pinus sursum.* Cum Beda faciunt Chrysostomus, Anastasius Sinaita, & Johann. Cantacuzenus Imperator Constantinopolitanus. Contra hos prisci etiam quidam censuerunt, crucem ex palma, oliva, cedro, cupresso esse coagmentatam. Quis vero credat, tam operosè vel Domini vel aliorum cruces fuisse compactas? cum ex duobus

Beda in Collectan.

lignis

lignis, erecto & transverso, facilime potuerit componi? Ne ipsi quidem plurimarum fabularum Patroni credunt. Alfonsus Ciacconius contendit, arborem crucis quercum fuisse, Gretserus ait, se Monachii in templo S. Michaelis non modo particulas, sed & partes S. Crucis diligenter conspexisse, sed ex quercu eas esse, deprehendere non potuisse. Si vera Crux Dominica inventa fuisset & non ex quovis obvio ligno potius partes illæ per orbem sparsæ suam habuissent originem, non potuisset universam antiquitatem fatigare tanta de ligno Crucis sententiarum varietas. Si verò ligni crucis tanta est in Ecclesia necessitas, ut post trecentos annos summo miraculo revocandum fuerit, quod tamdiu delituit, nonne accusabuntur Apostoli & Ecclesia primitiva extremæ vecordiæ, quod stante cruce tam turpiter neglexissent assulas quasdam ex ea decerpere aut abscindere, quæ ipsis

ipsis in posterum sanctissimũ & pretiosissimum essent futuræ κειμήλιον & ἀλεξίκακον? Nonne primi Hierosolymorum Episcopi officii sui plane fuissent immemores, quod lignũ, cujus veneratio & amor Deo placeret, non studuerint conservare, aut amissam requirere. Persecutiones illi conatui perpetuo non obstiterunt: multis etiã isto tẽpore induciis gavisa est Ecclesia. Nonne pace fruebatur sub Philippo Arabe? sub Alexandro Mammæa? cur de tanto thesauro inquirendo tanti Doctores & Episcopi non fuissent solliciti? Commemorat Eusebius, ligneam sedem ad sua usq; tempora servatam, quam fratres isti, qui successione ordinaria subsecuti sunt, omnibus manifestè monstrant. Si illam servare & monstrare potuerunt, hostium odiis & persecutionibus non obstantibus, quidni & crucem Christi. Sanè & Ecclesia, quę

trecentis ante Helenam annis in Palæstina floruit, gravissimam securitatis reprehensione merebitur, quod adeo negligenter salutem & religionem suam curaverit, ut crucem Christi, redemtionis nostræ instrumentum neglexerit. Parum salutis suæ cupidos fuisse primos illos Christianos necesse est, qui CRUCEM illam, tot mysteriis plenam, tantis dotibus & viribus ornatam nihil curarunt. Canunt Papistæ. *O Crux ave spes unica, in hoc paschali gaudio, auge pijs justitiam reisq; dona veniam. Ara crucis, lampas lucis, vera salꝰ hominꝫ, nobis pronum fac patronum, quem tulisti Dominum.* Num adeo profani fuerunt primi illi Christiani, ut salutis suæ rationem non habuerint? Quomodo verò Christum propitium habere potuerunt, amissa cruce, quæ pronum nobis reddit Patronum. Omninò igitur Deus tanto crucis Mysterio primæ illa puriſſimaq; Ecclesiæ tempora carere non siviſſet, si illud

si illud ad gloriam & commodum Ecclesiæ superstes esse debuisset. Neq; fuissent tantum thesaurum silentio involuturi vel sanctissimi CRUCIS præcones Apostoli, vel Apostolici in Ecclesia Doctores, Confessores, Martyres. Sed & illud incertissimum est, quo vel maximè tutum CRUCIS fuit per tria secula lignum. Scribunt loco fuisse motas tres cruces, & in terram defossas. Equidem corpus Christi depositum & sepultum scribunt Annales Evangelici, De CRUCIS sepultura nihil addunt Latronum corpora è crucibus sublata, aut Cruces illorum defossas nusquam traditur. Sanè qui Romano more in crucem agebantur, nisi magnis precibus intervenientib⁹, non fuerunt depositi, sed tabo illic passi fuerunt diffluere, & à sole ac pluvia corrumpi. Valerius Maximus hoc impressè narrat de Polycrate, qui ab Oroete Cruci affixus. E qua, inquit, putres ej⁹ artus, & tabido cruore manantia

Lipsius de cruce lib. 2. c. 15.

nantia membra, atq; illam lævam, cui Neptunus annulum manu piscatoris restituerat, sicu marcidam Samos lætis oculis adspexit. Quo & Tertullianus Afer respicit, quando ait. *Polycrati Samio filia CRUCEM prospicit de soluneribo unguine & lavacro Jovis.* Huc & digitū intendit Theodorus Cyreneus, cum tyranno minanti crucem respondit: *Jua nihil interesse, humi, an sublimi putrescerent?* Quia ab hac consuetudine recessit Pilatus ad preces Josephi Arimathæi, notat illud in sepultura Christi sacra historia. Circa latrones rale quidpiam contigisse, nullibi notatur. Quod vero Baronius ex Codice Thalmudico & Rabbinis annotat, cruces, clavos, enses, lapides, pro mortis genere juxta supplicium passos apud Judæos sepulta fuisse, partim incertum est, partim ad Judæam in libertate positam, & jure necis atq; potestate præditam referendum, qualis sub Pilato non erat. Accedit, quod crux Domini

Kirchman. p. 722. de funeribo Roman.

mini JESU commodè defodi non potuerit. Nam die Crucifixionis ferum erat, ſabbatum q; imminebat, quo nihil operis licebat facere, ideoq; temporis brevitas tunc impediebat depoſitionem, ſequentibus novem diebus depoſitionem impediebat feſtum paſchale. Cum vero interea temporis fama de Chriſti reſurrectione ſpargeretur, non eſt credibile, exacto feſto paſchali crucem loco motam & defoſſam eſſe. Sic enim fama de reſurrectione ſparſa latius propagata fuiſſet, & crucem defoſſam tanquam perenne monumentum habitura. Sed & crucem defodiſſent vel Nicodemus atq; Joſephus, vel Judæi & Gentiles. De illis nullibi tale quid legitur, nec ſimile vero eſt, illos credidiſſe in Cruce tantum Virtutis & divinitatis latitare, ut peculiaris depoſiti inſtar aſſervanda ſit. Hi vero, quod ad infamiam Chriſtianæ religionis augendam & pudefaciendos univerſos Chriſti aſſe-

clas mirificè pertinere existimarunt, remoturi nunquam fuissent. Imo, si alicubi dominicam Crucem latere Gentiles tribus illis ante Helenam seculis cognovissent, potuissent verò cognoscere, si mos defodiendi cruces certus fuisset & frequens, quia locum Crucifixionis nō ignorabant, effossuri sine dubio fuissent, & in opprobrium Christianorum publicæ luci exposituri Crucem, tanquam monumentū, ut illi existimarunt, delirantium Christianorum. Nulla enim apud ipsos contra Christianos usurpatior calumnia, quam quod hominem summo supplicio pro facinore punitum, & crucis ferale signum colant. Loquuntur id defensiones Tertulliani, Artyrobii, Minutii Felicis, Cyrilli Alexandrini, Justini Martyris, loquuntur Martyrologia. Et ita quidē cum circumstantiarum pia ponderatione historia INVENTÆ crucis dominicę pugnat.

Illud verò magnum contra illam historiam

historiam argumentum est, quod nobilissimi clarissimiq; illius temporis, qua inventa CRUX Dominica dicitur, historici Doctoresq; altissimo silentio totuplicium miraculorum monumentum, uberrimam differendi segetem involvant. Adeone ingratus fuit Christianus orbis, erga tantum supremi numinis beneficium, erga triumphale JESU Christi vexillum, erga Helenæ Imperatricis labores maximos, ut nullo extiterit, qui quod toto orbe fuit, si fuit, decantatissimũ, posteritati annotaret. Vixit illo tempore lucidissimum Alexandrinæ Ecclesiæ sydus, Magnus Athanasius, qui multa annotat miranda, quæ certamen ipsius cum Ario nobilitarunt. Existim abimusne, minutiora istum consectaturum, & hæc magna, hæc admirabilia, hæc sublimia, hæc divinam Majestatem suaviter & uberrimè commendantia taciturum? Habuit coætaneos Juvencum nobilissimi ge-

neris Hispanũ, presbyterũ, Sedulium Scotũ presbyterum, Alphiũ Avitum, Septimium Afrum, Poetas Clarissimos, quibus miraculorum plena historia pleniſſimam ſucculenti carminis materiam datura fuiſſet. Habuit coætaneos Athanaſius Palladium & Eumenium Rhetores, qui in diſſerendo hoc miraculo eloquentiæ vires oſtendere potuiſſent. Habuit Dydimum Alexandrinum, Dorotheum Epiſcopum, Metrophanem Epiſcopum, Hilarium Pictaviense Epiſcopũ, Apollinarẽ, Macarium, Theodorum, Optatum Milevitanum, Baſilium Magnum, Gregoriũ Nazianzenum, Epiphanium Salaminium, Idacium Clarium, Victorinum Afrum, Auguſtinum Hipponenſem, diligentiſſimos intra ſexaginta à Conſtantini M. imperio in Eccleſia Doctores, qui rem tanti momenti, tam orbi univerſo commendabilem nequaquã prætermiſſuri fuiſſent, ſi hoc miraculo Deus illis temporibus

porib⁹ Ecclesiã decoraſſet, quo cõſpecta non Chriſtiani ſolum, ſed & Judæi & gentes penitiſſimè percelli neceſſe fuit. Atqui hoc eſt argumentum, quò Romanam ſedem à Johanna Anglica occupatam fuiſſe negant Onufrius Panvinius & Baronius Cardinalis, quia nimirum magnum apud illius temporis hiſtoricos de eâ eſt ſilentium.

Porrò quotquot *PRO INVENTIONIS CRUCIS VERITATE* ex coætaneis Helenæ aut Conſtantini M. producuntur, falſi ſunt, corrupti ſunt. Producunt Euſebium Cæſarienſem, quem quando placet & Papiſmo patrocinari videtur, Gelaſius Pontifex usq; quaq; Doctiſſimum, Lindanus celeberrimum Chriſtianæ ſcriptorem Eccleſiæ, Sixtus Senenſis tanta ſecularium diſciplinarum peritia & divinarũ literarum exercitatione inter omnes ſui ſeculi Epiſcopos clarum vocat, ut Conſtantini Imp. elogio celebrari

meruerit: quem à nonnullis inter sanctorum cœtum relatum fuisse, testantur Possevinus & Baronius, cum verò displicet, Arii fautor acerrimus, Melchiori Cano fortunatarum Insularum Episcopo, hæreticus Arianus, Costerio, Arianæ factionis signifer, Baronio est. Ille verò in libro de Vita & rebus gestis Constantini, quo copiosè Constantini & Helenæ pro Ecclesiæ Dei claritudine persequitur labores nihil de *INVENTIONE CRUCIS* meminit. Equidem Bellarminus Card. & Gretserus Jesuita producunt ex l. 3. de Vita Constant. c. 29. Epistolã Augusti Victoris Constant. ad Macariũ Hierosolymorum Episcopum. Verba Imperatoris hæc sunt. *Tanta Servatoris nostri erga nos benignitas declarata est, ut nulla tam accurata dicendi vis sit, quæ præsens miraculum pro dignitate explicare posse videatur. Nam ut insigne illud sanctissimæ passionis monumentum, quod terræ visceribus abditum,*

tot

tot tamq; multis annorum conversionibus jam delituisset, tum illucescèret servis Dei, cum illi hoste devicto in libertatem essent vindicati, omnem profectò hominum admirationem longè superat. Atqui per insigne Sanctissimæ Passionis monumentum sepulchrum Domini intelligitur. De ejus namq; inventione prius cap. 27. Eusebius egerat. *Simulatq;*, inquit, *solum terræ opletum sordibus egestum fuit, & aliud solum, id est, locus ille monumenti ex abditis terræ sedibus eminebat, ipsum etiã sacrosanctum & salutare resurrectionis Christi venerandum monumentum præter omnium spem unà emersit, & sepulchrum, quod meritò sanctissimum appelletur, resurrectionis servatoris aptè propterea expressit effigiem.* Producit Cardinalis Baronius locum ex Eusebii Chronico: ubi hæc verba reperiuntur. *Helena Constantini mater divinis admonita visionibus, beatissimum crucis lignum, in quo mundi salus pependit,*

apud

apud Hierosolymam reperit. Atqui hæc verba in nullo antiquo Codice vel Græco, vel Latino inveniuntur, sed recentis scriptoris sunt inventum. Habuit Josephus Scaliger, illustris antiquitatis erutor, post alios optimè notæ Codices Chronici Eusebiani, Freherianum, Petavianum, & Bongarsianum; in quibus additamenti illius nullum liquet vestigium. Baronius hoc ipso loco conqueritur, Eusebii Chronicon à librariis admodum esse depravatum. Hanc verò querelam alibi in Annalibus frequenter ingeminat, & verissimam faciunt accuratissimæ ad illud Josephi Scaligeri animadversiones. Regerit Gretserus, *At quid certum manebit vel in ipsis Evangeliis, scriptoribusq; Canonicis, si hoc asylū semel aperiatur? Cui enim, si testimonio aliquo prematur, non in promtu erit hoc perfugium, quantumvis reclamantibus cunctis Codicibus Græcis & Latinis?* At nimis meticulosus est Gretserus.

Scal. annot. Eus. p. 228.

T. 3. p. 394.

Gretser. de Cruce lib. 1. p. 163.

ſerus: in promtu ſunt Codices venerandæ antiquitatis, quos adeamus, ubi de Euſebii genuinis aut ſubditiis eſt quæſtio, in promtu ſunt querelæ Baronianæ, quas cum Cardinalis moverit, quid attinet hæreticis imputare? Inſuper producunt Euſebii Papæ Epiſtolam ad Thuſciæ Epiſcopos, qui fateatur, CRUCEM *Domini ſe gubernaculâ Romanæ Eccleſiæ tenente, inventam.* Atqui Epiſtola illa eſt improba Iſidori Mercatoris merx, quæ ſe prodit Conſulũ deſignatiõe vitioſa, & cõſarcinata eſt improbo labore ex Eccleſiaſtici, Hormiſdæ, Adriani I. Codicum q; Juſtinianei & Theodoſiãi dictis, uti ſedulò ãnotat David Blondell9 in Pſeudo Iſidoro. Severinus Binius, qui Concilia Eccleſiæ & Epiſtolas Pontificum accuravit, ita de hoc Euſebii paragrapho pronunciat. *Crucem Domini tempore Euſebii Papæ non fuiſſe inventam, ideòq; ea, quæ hoc loco Epiſtolæ huic adduntur, ut ait Surius in notis marginali-*

bus

bus, surreptitia esse & extrinsecus addita fuisse, certissima conjectura statuere licet. Adducit post alios Severinus Binius Hieronymum de institutione Monachi ad Paulinum. Atqui in universa illa epistola, in qua de vera Hierosolymæ & Crucis meditatione eloquentissimus Pater disserit plurima, nihil de INVENTIONE CRUCIS Heleniana, NE VERBULUM quidem: ut mirandum sit, tantam posse esse hominum audaciam. Adducunt *Orationem* Ambrosii Mediolanensis Episcopi *in obitum Theodosii Imperatoris.* Nihil de ea pronuncio. Conjicio tamen cum pluribus aliis, orationem illam non esse Ambrosii, vel esse tota illa de inventione Crucis historia subdola aliqua manu locupletatam. Tot sunt impia in ea pronunciata, quæ & Ambrosio ignota & illo seculo inusitata sunt. Qui enim credat, sanctum Ecclesiæ Doctorem existimasse, crucis lignum esse *divini numeris auxilii*,

esse

esse vitam, esse salutem, ea inventa noviter Satanam vinci, ea elevata remedium peccatorum parari, eam esse remedium immortalitatis, sacramentum salutis, clavum crucis esse redemtionis divinæ gemmam, invisibili quadam potestate dæmones torquere, & quę sunt alia in Dei majestatem iniqua postulata. Ejusdem orationis autor Helenam Imperatricem stabulariam vocat & sub aliquo verborum velo concubinam Constantii, quod ad Annum Chr. 306. copiosè refellit Baronius. Idem in aliquot scripturæ locis contra gravitatem B. Ambrosii ludit. Sic locum Zach. 14,20. in illo die erit super frenum equi sanctitas Domini, ad clavũ in freno Constantini M. torquet. Ridet hanc detorsionem jam suo æuo Hieronymus & de freno clavis dominicis coronato dubitanter loquitur. *Audivi*, inquit, à quodam rem, sensu quidem pio dictam, sed ridiculam: clavos Dominicæ crucis, è quibus

bus Constantinus Augustus frenos equo suo fecerit, sanctum Domini appellari. Hoc utrum accipiendum sit, lectoris prudentiæ derelinquo. Sic ex Pilati responso, quod Judæis titulum crucis mutari volentibus dedit, vaticinium quoddam futurorum temporum & Helenianæ curiositatis facere gestit. Quod scripsi, scripsi, id est, non ea scripsi, quæ vobis placerent, sed quę ætas futura cognoscerer, non vobis scripsi, sed posteritati, propemodum dicens: Habeat Helena, quę legat, unde crucem Domini recognoscat. Demum cum in laudes Theodosii cœpisset oratio, subito in hanc delabitur historiam, in qua tanto ambitu occupatur, ut jejuna potius affectatio, quam prudens commendatio appareat. Adducunt Cyrillum Hierosolym. qui in epistola ad Constantium juniorem INVENTIONEM CRUCIS laudat. Fabulosam autem esse illam Cyrilli epistolam, vel illud solum pate-fa-

patefacit, quod de Constantio asseverat, eum sua erga Deum pietate majori parentes suos superasse. At fuit ille Arianus & persecutor. Paulinum, Sulpitium, Prosperum, Russinū, Theodoretum, Sozomenum, Socratem, Gregorium Turonensem, Alexandrum Monachum, Georgiumq; Hamartolum quod attinet, possem ex uno Baronio copiosum mendaciorum & errorum historicorum Catalogum contexere, quorum ille tum singulos, tum universos passim reos facit in annalibus. Quomodo vero ille eos nobis tuto opponet? Justinianū Imperatorem, cujus novella 128. in testimonium Crucis ab Helena inventæ proferunt, ut historicum, non ut Imperatorem hoc loco recipimus. Meminerint vero ligneæ crucis patroni, etiam Pontificem Rom. quem pro infallibili oraculo veritatis cœlestis venditant, in quæstionibus facti tam seorsim, quam cum Concilio errare

Bell. R. P. l. 4. c. 2.

rare posse. Et quid si Justinianus sa-
crum Christianorum signum dicere
ipsum Domini JESU sepulchrum. Id
sanè ipse Constantinus Imp. sanctis-
simæ passionis monumentum vocat.
Nicephori Xantopuli autoritas nul-
l.1.c. lo modo nos movet. Quem enim
6.p.11. moveat fabulosus homo, qui asserere
non erubuit, Gretsero etiã comprobante, sub Constantino M. dolabram,
qua Noë in arcę structura usus, Constantinopoli asservatam fuisse. Sed &
ipse Baronius diffiteri non potuit, in
historia inventionis Crucis plurima
dubię fidei esse. *Complura*, inquit,
minus solidæ veritatis in hostoriam inventionis sanctißimæ crucis non nuper, sed antiquitus irrepserre, quæ Gelasius Romanus Pontifex sic reliquit dubia atq; in certa, ut in arbitrium prudentis lectoris rejiciat, qui separare sciat pretiosum à vili, & verum à falso, ut æqua lance cunctis examinatis, recto libramento omnia judicet. Verum reddamus hic

verba

verba Gelasii. *Scriptura de inventione Crucis Dominicæ & alia scriptura de inventione capitis Johannis Baptistæ, novellæ quædam revelationes sunt, & nonnulli eas Catholici legunt: sed cum hæc ad Catholicorum manus adveniunt, B. Pauli Apostoli præcedat sententia, omnia probate, quod bonum est, tenete.* C. Sanctæ Rom. d. 15.

Superest autem Auditores, ut paucis indicemus, quantopere interfese dissideant Inventæ Crucis historici. Si tempus inventionis Crucis spectemq, Eusebius Papa in Epistola ad Thuscos affirmat, sub Pontificatu suo Dominicam Crucem inventam fuisse, Anno II. Imp. Constantini, quo tempore & hic & Helena Mater adhuc Diis gentilibus immolabant. Eusebius Cæsariensis in Annum XV. Imperii Constantini M. inventionem Crucis conjicit. Florentius Wigornienſis in tempora Constantii Patris Constantini collocat. Zonaras T. III. ait, Helenam post baptisatum Constantinum, adsci- Fl. p. 154. Z. p. 109.

to sibi

to sibi comite S. Sylvestro, Hierosolymam profectam esse. Baronius secutus Socratem & Sozomenum, anno primo post Concilium Nicænum inventum fuisse illum thesaurum existimat. Hermannus contractus in secundum post Concilium annum ponit inventionem. Si locum spectemus, sanè quę se nomine Ambrosii venditat oratio, nullam sepulchri Dominici facit mentionem. Neq; de eo aliquid vel Paulinus, vel Sulpitius habent. Sed & Rufinus de sepulchro Domini tacet. At Theodoretus, Socrates, Sozomenus, Nicephorus sepulchrum Dominicum, & cruces tres inventas conjungunt. At si sepulchrum Domini simul inventum cognovere Ambrosius, Sulpitius, Paulinus, Rufinus, cur tacent, cur nō conjungunt declamando & exaggerando mysterium, quę conjuncta esse voluit miraculosa Dei detectio. Insuper Theodoretus ita historiam inventæ crucis enumerat, ut

longo

longo temporis intervallo prius sepulchrum Domini inventum recenseat ex Eusebio, quam crux JESU inventa esset. Libro n. *I.* cap. 18. ponit epistolam Constantini *Imp.* qua sibi & universę Ecclesiæ de INVENTIONE sepulchri Dei splendide gratulatur, & quomodo basilica locus exornandus esset, Macario Episcopo mandat, c. 19. tradit, illas literas Helenam matrem Hierosolymã pertulisse, & quę ad diversarum fabricarum sacrarum magnificentiam necessaria fuerant, regio apparatu accurasse; interq; hos labores cruces reperisse. Cæteri Græci historici uno opere & sepulchrũ & cruces detectas fuisse, referũt. Quidã referunt, juxta sepulchrũ Domini cruces repertas fuisse. Alii in Golgatha loco passionis. Alii, cruces in ipso monumento, ut Socrates loquitur, sepulchri repertas, quę consistere nequeunt. Pleriq; referunt, Helenam profectam Hierosolymam, relicto Byzantii

zantii filio. Antiquus Chronici ex Idacio collector ita habet. Constantinus cum matre Helena crucem Domini nostri Jesu Christi Hierosolymis invenit, effectusq; est Christianus ab Helena. Quidam, quos sequitur Baronius & Gretserus, existimant, in ipso monte Golgatha repertas cruces ab Helena. Alii, quos sequitur Alf. Ciaconius, scribunt, carnifices Christi & Latronum cruces in vallem monti Golgathæo subjectam præcipitasse, terraq; obruisse, ac deinde egestis ac exoneratis super illas totius civitatis sordibus vallem oppletam fuisse, crucesq; sub illo sordium acervo obrutas delituisse. At quomodo hoc consentit cum illis, qui in ipso loco passionis, ubi Hadrianus templum Veneris collocaverat, inter rudera dejecti & fundito everſi templi cruces inventas fuisse tradūt. Pleriq; historici ajūt, tres cruces simul in eodem loco inventas fuisse. At quomodo hoc cum illis

T. II. antiq. L. Canisii p. 635.

illis consentit, qui instrumenta supplicii, cruces, enses, rotas & similia, juxta interfectorum cadavera defossa fuisse asseverant. Fuitne Dominus juxta latrones sepultus, fuitne crux Domini illata in sepulchrum Josephi Arimathæi, fuitne sepulchrum Domini simul & crucium trium sepulchrum. Ambrosii nomine insignita Oratio, quam antiquissimam censent cruciolæ, tradit, ex solo titulo affixo crucis ligno, qui inscriptionem Pilati tot annorum cursu non sine miraculo retinuerat, crucem Dominicam fuisse agnitam. Severus & Paulinus negant titulum cruci affixũ fuisse; itaq; tradunt ex mortui cruce Dominica tacti resuscitatione Christi crucem fuisse agnitam. Rufinus crucem Domini agnitam dicit, semineci feminæ incolumitate reddita per salutarẽ crucis contactum. Sozomenus, Socrates, Nicephorus Xantopulus conjungunt duo illa miracula. Sed subdubitanter,

& non

& non inusitato fabulis indicio, fe-
tur. Ajunt. At hæc nequaquam inter
sese consentiunt. Si enim titulus cru-
ci mansit affixus, quomodo juxta
crucem decussus jacuit. Si titulus cru-
ci affixus sinceram exhibuit JESU
Nazareni præscriptionem, cur dubi-
avit Helena crucem exoscolari, cur
Macarius mortuo excitando eam
admovit, unde vivificam virtutem illi
inesse didicit? Et si mortuus ejus ad-
motu excitatus revixit, cur ultra hæ-
sitavit, ut seminaci fœminæ etiam ad-
movenda fuerit? Adeone vel incre-
dula vel superstitiosa fuit Helena, ut
gemino miraculo confirmanda fuerit?
Baronius ex eo veritatem Ambrosia-
næ orationi conciliat, quod coram
amplissimo Magistratus consessu pro
concione in laudes Theodosii Magni
dicta fuerit. At illa miraculorum ge-
minorum non meminit. Nimirum
Ambrosius in medio orbis Senatu, in
splendidissimæ aulæ consuetudine

minus

minus novit, quam Nolæ in Campania Paulinus, vel in Biturigibus Sulpitius. De clavorum juxta Crucem invetorum numero non minor est dissensio. Ubimiror, non etiam aliquem mortuum illorum beneficio fuisse excitatum, ut ab aliis dignoscerētur, quibus Latrones configebantur. Namque & hi, ut Christus, clavis confixi fuerunt, uti Lipsius, Baronius, Gretserus testes sunt. Ambrosius duorum tantùm meminit, de quorum uno frenum, altero verò corona Cæsaris munita sit. Ruffinus trium meminit, & tertium pro cassidis munimento cum Zonara reservavit. Gregorius Turonensis, trecentis ferè post Helenam annis, ipsa Helena in Golgathæis ruderibus oculatior, etiam quartum vidit & addit: eo tempore Hadriaticum mare magnis fluctibus movebatur, in quo cum frequentia erant naufragia & demersio hominum, ut vorago navigantium diceretur,

tur, tum provida regina condolens excidia miserorum, unum ex quatuor clavis deponi jubet in pelagus, confisa de Domini misericordia, quod sævas fluctuum cõmotiones facile posset opprimere. Quo facto redditur mare quietum, tranquillaq; deinceps flabra navigantibus præstantur. Unde usq; hodie nautæ sanctificatum mare venerantur, & cum ingressi fuerint, jejuniis, orationibus & psalterio vacant. Clavorum ergo Dominicorum hæc est ratio, quod quatuor fuerint, duo sunt affixi in palmis & duo in plantis. Hæc Greg. Turonicus.

Utriq; videtis, auditores, quomodo fabulam suo unusquisque de modo crucifixionis sensui attemperet. Quia n. in Orientali & Occidentali Eccl. picturę crucifixionis variant, & quædam pedes conjunctos uno clavo transfixos exhibent, quædam singulos pedes singulo clavo perforatos ostendunt, quidam tres, quidam quatuor

tuor clavos repererunt. Nescio verò quisnam in conductu Helenæ, religiosa Imperatrice, diligentior fuerit, qui plures, quam vel Ambrosius, vel Rufinus, vel Gregorius Turonicus annotarunt, clavos Christi crucis collegerit. Plures sanè clavi passim in orbe ostentantur, & vix ampla quædam basilica sub Papatu est, quæ non aliquo crucis Christi clavo fulciatur. Audivit & hoc Cæsar Baronius, & quia verebatur, ne res in fabulam iret, pro sua in Ecclesiam Romanam pietate sapienti condimento famæ illi succurrit. *Quod verò, inquit, clavi, quibus cruci suffixus est Christus, plures diversis in locis hodie reperiri dicantur, nihil est, quod pluribus quam tribus, aut ad summum quatuor, Christi manus & pedes confixos esse putemus. Licet multa extent exempla s. martyrum, & inter alia, quod S. Ambrosius recitat, de Martyre multiplicibus clavis affixo patibulo. Ait enim ipse, cum agit de inventione Agri-* T. 3. p. 399.

colæ martyris Crucifixi. Nos legimus martyris clavos & multos quidem, & plura fuerũt vulnera quam membra. Sed fortasse accidit, ut ex aliquo clavorum Christi modica singulis accesserit ferri portio; vel potius deperditis antiquioribus rem testantibus monumentis, clavi illi, quibus compacta sunt ligna sanctissimæ CRUCIS, crediti ipsi fuerint, quibus Christi membra cruci fuerunt infixa: nisi forte alicubi accidit, ut clavus aliquis inter sacras reliquias asservatus, quo mystica membra Christi, nempe martyr aliquis confixus est, idem unus ex ipsis Christi clavis fuerit existimatus. Quicquid sit, fides purgat facinus, cum nemo fidelium ferrum colat, sed Christi potius passionem veneretur & adoret. Hæc de clavis cudit Baronius, qui non animadvertit, quot clavos nutare faciat passim, imo quam omnes dubios reddat. Miror, quod non per miraculum multiplicatos sine sui imminutione fuisse clavos contenderit. Ita n. excusant, quod

quod passim tanta particularum & partium ligni crucis reperiatur copia, ut si colligeretur, quatuor aut quinq; justæ magnitudinis crucibus conficiendis, imò plaustris onerandis sufficiant. Sic enim Paulinus. *Operatio divina virtute jugi miraculo CRUX in materia insensata vim vivam tenens, ita ex illo tempore innumeru pene quotidie hominum votis lignum suum commodat, ut detrimentum non sentiat, & quasi intacta permaneat, quotidie dividuam sumentibus & semper totam venerantibus: sed istam imputribilem virtutem & indetribilem soliditatem, de illius profecto carnis sanguine bibit, quæ passa mortem non vidit corruptionem.* Paulinus Ep. 11. Planè mirandum est, quod non aras, statuasq; ex illa materia fabricarint, quod non sanctuariis quibusdam laquearia exinde dederint superstitiosi homines, si sine omni detrimento Crucis lignū secari potuit. Quomodo non tota mansit Crux cum in duas partes eam

Helena secaret, & maximam partem Constantinopolim mitteret, alteram Hierosolymis retineret. Et quid fiet de Crucis lignis ita dispersis in novissima die. *Omnes veteres*, inquit Blasius Viegas Jesuita, *statuunt, lignū crucis fore in novissima die signum filii hominis, quod apparebit. Ephrem, Hippolitus, Cyrill. Hierosol. Chrysost. Orig. Hieron. Hilar. Theophyl. August.* Imò, ait idem, *Thomas Waldensis non improbabiliter existimat, crucem ligneam quæ nunc in minimas particulas toto orbe divisa, iterum divinitus reformandam & in cœlo apparituram.* Mira equidem reformatio. Si enim imputribilem virtutem & indetribilem soliditatem ita hausit lignum crucis, ut etiam in infinitas particulas toto orbe sparsa, tota nihilominus & indivisa maneat, uti Paulinus tradit, tota sine dubio alicubi nunc latebit. Coalescet ne igitur tota illa in unam cum singulis partibus & segmentis crucis

Cru-

Crucem, an per aliquam transsubstantiationem particulæ crucis passim exhibitæ ad integram crucem in nihilum recident? Non sanè opus est miraculo. Sed quicquid dicent, absurdum erit.

Relinquamus ergò, Auditores θεοφίλεστατοι, superstitiosam, dubiam, suppositiam, verè inventum hominum, Crucis inventionem. Quæramus alibi sancti Salvatoris nostri CRUCEM, ubi non mare tranavigandum fluctibus aut syrtibus horridum, sed ubi mare est cœlestis sapientiæ, ubi abyssus est infinitæ bonitatis, ubi vorago est æternæ felicitatis, ubi tutissimè ad Deum trajicitur & in sinu angelorum appellitur. Inveniemus in cœlestibus sacrarum literarum monumentis hæc omnia. Ibi paradysus est, non ille, qui serpentino Diabolo quoq; patuit, in quo labi Adamus potuit, sed qui solis sanctis & Deo familiaribus mentibus patet, ubi labi &

cespitare procul est, ubi via, veritas & vita est. Ibi arca est, tutissimum contra inundantis mundi pericula præsidium, non illa, quæ bruta cum octo tantum animabus tutata est, sed altera sublimior, victrix procellarum, quæ bruta excludit & myriades sanctarum animarum amplectitur. Ibi scala est, non illa, quæ somnianti Patriarchæ divinitus ostensa est, sed illa, qua per universam vitam ad DEum imus, quæ in perennibus immortalis felicitatis vigiliis suavissima quiete clarissima apparebit. Ibi rubus est, non ille, qui in deserto Madian divinis flammis coruscavit, sed ille, qui mentes nostras sublimibus bonis sociat, qui Deum intimè nobis jungit, qui nos accendit pari lumine, & immortali jubare in adyta cœlestia deducit. Ibi columna est, quæ sustentat & ducit felicissimo ad æternitatem gradu. Ibi statua salis est, non illa incredulitatis testis, sed altera erectior,

cœlo

cælo contermina, salis sapientiæ & immarcesibilis beatitudinis datrix. Ibi arca fœderis est, non illa, quæ legem continuit tabulis lapideis consignatam, sed illa altera capacior, quæ omnia suo ambitu comprehendit, in qua omnes thesauri sapientiæ & cognitionis absconditi. Ibi Virga frondens est, non illa, quę Aaroni sacerdotii principatum designavit, sed altera ab æterno & in æternum frondens, quæ nos sacerdotes & Reges coram Deo Patre facit. Ibi tabernaculum est, non illud, quod taurino hircinoq; sanguine consecratum est, sed quod suo sanguine sanctorum corda conspergit & intra se vocat. Ibi Sina, ibi Sion, ibi Horeb, ibi Moria, ibi Golgatha est, ibi Montes sunt, à quibus cœleste depluit auxilium, è quibus ad Deum exscenditur. Ibi est præsepe Salvatoris; in quo incunabula Christianismi habemus; ibi templum est Salomonis cœlestis, in quo ille docet.

Ibi desertum est, ibi mons est, ubi pro salute nostra divinæ nobis preces communicantur. Ibi Camera est, in qua angelus salutis concipiendum in pectoribus nostris JEsum nunciat. Ibi triclinium est, ubi cœleste epulum proponitur. Ibi metretæ sunt, in quibus dulcescunt nostræ amaritudines. Ibi flagella sunt, quibus dæmones fugamus. Ibi spinea corona est, qua mundum conculcamus. Ibi arundo est, qua concupiscentias verberamus. Ibi purpura & cãdida immortalitatis vestis est. Ibi Crux est, æternæ felicitatis meritum. Ibi sepulchrum est peccatorum nostrorum. Ibi resurrectio est animarum nostrarum. Ibi adscensio est mentis nostræ in Deum. Ibi olea est pacis. Ibi spongia est divinæ dulcedinis. Ibi lancea est, qua hostium agmina penetramus. Ibi clavi sunt, quibus Deo jungimur. Ibi miracula sunt, ibi sunt omnia. Verè terra sancta, terra beata, terra benedicta, in

qua

qua indies ad nos venit Deus, in qua sine fatigatione ad Deum imus. Quæramus hic S. CRUCEM perenniter & inveniemus perennitatis lucem. Quæramus S. CRUCEM in sacramentis Dominicis. Ibi Jordan est confluentibus undis nos initians. Ibi Cedron est, nos Deo transvehens. Ibi sanguis JESU est, è latere Dominico, è clavorum foraminibus defluens, è toto corpore sudans. Ibi Manna est suavissimæ dulcedinis. Ibi fons est è Petra viva scaturiens. Quæramus S. Crucem in nobis. Plurimi S. Crucem Hierosolymis quæsiverûnt, qui Crucifixum amiserunt. Nisi intra nos crucem & crucifixum habeamus, parum, imò nihil, juvat ligni investigatio. Probemus nos, an in nobis sit Dominus JESUS Crucifixus, an fide illum complectamur, an vita ei conformemur. Quotquot Capita esse voluit Deus Ecclesiæ & Reip. Christianæ, non vel Tiberii Cæsaris

more

more otientur, quando Christus moritur & crucifigitur Hierosylimis, vel Pilati more conniveant ad malignantium cōsilia, vel perditissimorum militum more non crucifixum, sed crucifixi tunicam quærant & in ea, ex ea, de ea ludant, vel Sacerdotum more atroci sententia veritatē damnent. Absit à Christianis proceribus nefarium facinus. Christus crucifixus sit bellorum, consiliorum, pacis & universæ vitæ autor, dux, scopus. Æternos cruciatus merebitur, qui alio fine & modo Crucem investigabit.

Hym. Typ. S. Sabæ. At tu JESU crucifixe, Salvator meritissime, ditissime, dulcissime, salve crucifixe, vitam ferens, pietatis insuperabile trophæum, janua paradisi, fidelium fulcrum, Ecclesiæ vallum & propugnaculum, per quem abolita est corruptio, evacuata & absorpta mortis potentia, nosq; de terris ad cœlestia levati! salve armatura inexpugnabilis, dæmonum adversator.,

marty-

martyrum gloria, verum sanctorum ornamentum, portus salutis, mundo magnam misericordiam præstans! salve cœcorum dux, infirmorum sanitas, resurrectio mortuorum, elevãs nos, qui in corruptionem cecidimus: Illumina quæso mentes nostras, ut procul à vanitate & superstitione crucem tuam investigemus: deduc nos in terram sanctam literarum tuarum sacratissimarum, verè terram melle & lacte fluentem, verè terram viventium: largire nobis undas spiritualis Jordanis & Cedronis, largire nobis cœlestem Mannam, largire nobis è te petra limpidissimum animab⁹ nostris potum. Deduc nos ad cœleste tuum epulum. Deduc nos ad montem Olivarum sanctissimum & sanguineo tuo sudore consperge. Verte ad nos placidissimos serenissimosq; oculos tuos, quibus Petrum respexisti. Da nobis flagella tua, quibus hostes nostros conteramus. Da nobis

spine-

ſpineam tuam coronam, qua corda noſtra compungam9. Da nobis ſpongiam opulentæ miſerationis, quam in corda noſtra exprimamus. Da nobis clavos tuos, quibus tibi uniamur; da Crucem tuam, qua tecum erigamur; da lanceam tuam, quæ cor noſtrum aperiat, ut rivos ſanguinis tui excipiat; da purpuram tuam, ut tecum regnemus. Inſcribe nobis titulum ſanctitatis Domini, ut ſalvi à ſpiritualib9 nequitiis ſimus. Sepeli nos tecum, ut tecum reſurgamus, tecum adſcendamus, deniq; tecum triumphemus. Da magnatibus tuis, quibus te GUSTANDUM præbuiſti, crucem, lanceam, coronam, arundinem, flagella, armaturam tuam cœleſtem & invictam, ut gloriam tuam contra hoſtes veritatis propugnēt & adflictos tuos tueātur. Salve JESU crucifixe, &, ut nos æternum valeam9, clementer effice. Tibi cum Patre Sancto & Spiritu S. ſit laus, honor & gloria in ſempiterna ſecula.

AD

AD
DISSERTATIONEM
III.
PROGRAMMA.

DECANUS FACULTATIS THOLOGICÆ IN ACADEMIA ARGENTORATENSI,

JOHANNES SCHMIDT,

SS. THEOLOGIÆ DOCTOR, PROFESSOR EJUSDEM ORDINARIUS ET CONVENTUS ECCLESIASTICI PRÆSES,

Omnibus lecturis gratiam & amorem CHRISTI crucifixi P.

GRaviter Aurelius Augustinus, cujus monumentis, Erasmi Roterodami judicio, Orbis Christianus vix quicquam post scripturas sacras *vel aureũ magis vel augustius* habet, lib. 4. de doctr. Christ. c. 3. *Ea demum*, inquit, *miserabilis animæ*

animæ servitus est, signa pro rebus accipere. Merito *servitutem* vocat, quod hac ratione divina & nobilissima substantia, Deo ipsi vicina & similis, libertate suâ, quæ in ipsarum rerum tùm divinarum tùm humanarum contemplatione ac scientia consistit, exuatur, & in umbrarum atq; imaginum quodámodo vincula indignissimè conjiciatur: *miserabilem* autem dicit, quod hoc pacto uterq; veluti oculus animæ expungatur, ut veritatis solem intueri nequeat, sed cæcitati, caligini, & tenebris altiùs subindè immergatur. Porrò uti in omnibus vitæ actionibus, studiis, artibus, scientiis, qui, posthabitis rebus ipsis, signorum umbras amplectuntur, miseram serviunt servitutem: ita omnium miserrimi censendi sunt, qui in divini cultu exercitiis idem factitant, & quem honorem ac reverentiam ipsi numini exhibere debebant, imaginibus infelici superstitione præstant. Fieri hoc in *Papatu* res ipsa satis atq; experientia docet. Ut enim infinita alia hic silentio prætermittamus, annon est signum pro reipsa accipere, cùm homi-

nes

nes superstitiosi *signo crucis* omnia pene, quæ Jesu crucifixo, unico salvatori & redemptori nostro, propria sunt, attribuunt? Cum prorsus fere neglecta Christi passione, signo in aere digitis effecto, vel in terra ex lignis aut lapidibus formato, divinam adscribunt virtutem, idq; in magna religione habent? Fuit sane etiam olim Crucis signum in summo honore habitum à Christianis, maxime propter diviniſſimum redemptionis pretium, quod in eo oblatum est; ob quam causam pii & fideles, qui Christo nomen dederant, in cunctis sermonibus suis, totaq; vitæ ratione magni id fecerunt. *Crucis victoriam*, inquit Theodoretus, *ubiq; & in publicis conventibus, & celeberrimis urbium locis primi Christiani promulgârunt & prædicârunt; nec puduit illos*, ut Chrysostomus scribit, *Crucis signum & rebus suis gestis, & facultatibus omnibus tanquam legitimum quoddam insigne adscribere.* Cyrill. Hierosolymit. Catech. 13. *in fronte*, ait, μὴ παῤῥησίας *signaculum crucis digitis imprimatur & in aliis omnibus crux fiat, in panibus comedendis, & in poculis*

poculis bibendis, & ingressu, & ingressu, ante somnum recumbendo, & surgendo, eundo & quiescendo. Auxit etiam nonnihil signi crucis honorem inter priscos fideles *furor gentium & Judæorum*, qui & Christum ipsum ob crucifixionem, & Christianos crucifixum Deum colentes non tantum deriserunt & contemserunt, sed & detestati atq; abominati sunt. His, ne nullo modo cedere, aut quicquam de sua in Christum fide & constantia remittere velle pii viderentur, non modo Christi crucifixi mentionem & memoriam non deposuerunt, sed & signum ejus quoquo legitimo modo exornârunt, frontesq; suas eodem notârunt, ut quod sibi quam res ignominiosa objiceretur, de eo se maximè gloriari testarentur. Augustin. serm. 8. de verb. Apost. *De Christi cruce nobis insultant sapientes mundi & dicunt: quale cor habetis, qui Christum colitis crucifixum? Quale cor habemus? non utique vestrum. Sapientia hujus mundi stultitia est apud Deum. Non enim vestrum cor habemus. Sed dicitis cor nostrum stultum: dicite quod vultis, nos ascendamus Sy-*

como-

comorum, & videamus Jesum. Ideo enim vos JESUM videre non potestis, quia Sycomorum ascendere erubescitis. Apprehendat Zachæus Sycomorũ ascendat humilis crucem. Parum est, ascendat, nec de cruce Christi erubescat, in fronte illam figat, ubi sedes pudoris est, ibi omninò, in quo membro erubescitur, ibi figatur, unde nõ erubescitur. Cyrill. Hierosolym. Catech. 4. περὶ ἀναλήψεως pag. 80. Ne erubescamus Christi crucem, sed si quis alius abscondat, tu palàm ad frontem obsignato: signo isto utere, tum edens ac bibens, tum sedens ac cubans, de lecto surgens, loquens, ambulans, & ut semel dicam, in omni re omniq; negotio. Verùm ita pii veteres crucis signum honorârunt & adhibuerunt, ut simul rem ipsam complexi, hujus magis, quàm illius habuerint rationem. Præclare Hieron. in Psal. 95. Christi, inquit, crux est columna generis humani: in ipsa columna ædificata est domus ejus. Ego crucem dico non lignum, sed passionem. Cæterùm crux ista & in Britannia est, & in India est, & in universo terrarum orbe. Felix est, qui crucem, resurrectionem, & locum nativitatis Christi,

& la

& locum ascensionis portat in pectore suo: felix qui Bethlehem habet in corde suo, in cujus corde Christus quotidie nascitur. Unde etiam, cum externo crucis signo internam mentis devotionem, & fidelem Christi crucifixi amplexum semper conjungendum diligentissimè monuerunt. Chrysost. homil. 55. in Matth. *Crucem non simpliciter digito, sed magnâ profecto fide in mente prius formare oportet: nam si hoc modo eam faciei tuæ impresseris, nullius sceleratissimorum dæmonum congredi tecum audebit.* Et paulò post: *Hoc signum crucis in mente tua insculpe, & animarum amplectere salutem.* Augustin. sive quicunq; alius auctor lib. de rectitud. Cathol. Convers. *Habete semper Christum in mente, signum ejus in fronte facite in omni loco, omni horâ crucis signo vos armate, crucis memoriâ vos munite: jugiter signum Christi muniat frontem vestram, ut vos semper memoria Dei vigilantes custodiat.* Ephrem Syrus de Panoplia pag. 480. *Vice scuti crucis signo teipsum muni, signans eo membra tua omnia: Neque verò solâ manu te signes, sed etiam animo, & studia tua,*

& in-

& ingressum tuum & lectulum tuum, & quæcunq; pertransis signa, &c. Nequaquam ergo Ecclesia prisca, ejusq; Antistites eo servitutis & miseriæ redacti sunt, ut pro rebus simpliciter signa acceperint. Papatus vero, qui nihil aliud est, quàm quædam multiplicis ἐθελοθρησκείας, superstitionum, vanæque idololatriæ colluvies, Christi crucifixi, ejusque passionis & meriti prorsus ferè oblitus, solum in pluribus cultibus signum retinuit; huic non sine blasphemia virtutes ab uno Christo manantes vendicavit: hoc gravissimos morbos omnes medicorum artes eludentes sanari, hoc serpentes & dracones fugari pestiferos, hoc venenorum haustus innoxios reddi, hoc dæmones ex humanis mentibus profligari, hoc cæcis oculorum, mutis linguarum, claudis pedum usum restitui, hoc incendia horrificas flammas longè lateq; jactantia restingui, imperito populo persuasit; quem etiam in finem ligna crucis peculiariter in certis temporibus consecrare consuevit, idq; hac precum formulâ, *Rogamus te sempiterne DEUS, ut digne-*

digneris benedicere hoc lignum crucis, ut omnibus hic genu flectentibus, ac tuæ majestati supplicantibus ordis compunctio & admissorum concedatur remissio. Aut istâ: *sanctificetur illud lignum crucis, ut orantes inclinantesq; se propter DEUM ante istam crucem inveniant corporis & animæ sanitatem.* Tandem ne quid servili superstitioni deesset, religioso adorationis cultu signum crucis affecerunt &, sicuti certas oratiúncularum formulas ad conspectum signi coronæ spineæ, sudarii, clavorum & lanceæ, aliorumq; cruciatus Christi instrumentorum, recitârunt, ita quoque crucis imaginem flexis genibus & conceptis precum verbis invocârunt. Unde illud: *ô Crux ave spes unica, hoc passionis tempore, auge piis justitiam, reisq; dona veniam.* Et hoc: *ô Crux gloriosa, ô crux adoranda, ô lignum pretiosum & admirabile signum, venite adoremus:* Et istud: *Crucem tuam adoramus Domine, resurrectionem tuam sanctam glorificamus.* Item: *ô Crux lignum triumphale, mundi vera salus, vale, inter ligna nullum tale, fronde, flore, germina: medicina*

christia-

christiana, sanos salva, ægros sana: quod non valet his humana. Verè *miserabilis hæc est servitus*, in quam tamen tot animarum myriades superioribus seculis sunt pertractæ, & in quâ multæ hodieq; captivæ tenentur. Nobis divinâ bonitate cælestis reddita est libertas, rupta sunt antiquæ & miserabilis servitutis vincula, ablatum à cervicibus nostris jugum, ut, quid de Christi cruce ad salutem animarum credere deceat, sine erroris periculo intelligamus. Fas ergo est, ut tantum beneficium, quo majus in terris hisce conferri in nos nō potuisset, gratis animis agnoscamus, & partim quidem *illam servitutem*, quam idololatrica superstitio peperit, fugiamus & aversemur, partim vero Christi salvatoris crucem religioso & pio affectu ad scripturarum normam & piorum omnium exemplum, tum toto vitæ nostrę curriculo, tum inprimis hoc anni tempore, quod ante plura secula recolendę passionis Christi memoriæ consecratum fuit, meditemur, cogitemus, celebremus. Hoc, ut præcipue nostter ordo, qui ad pietatem omnibus aliis facem

cem præferre debet, eó præstet facilius, prodibit laudabili pioq; Academiæ nostræ instituto *perendie horâ octavâ matutina, Vir admodum Reverendus, Clarissimus & Excellentissimus Dn. JOHANNES GEORGIUS DORSCHEUS, S.S. Th. D. & Prof. celeberrimus, & Ecclesiastes vigilantissimus, collega, amicus, Compater & in Christo frater noster honoratissimus, &*, cum una Oratione nec omnes de Cruce Christi errores, quos Papatus exsegenuit, persequi, nec totam Dominicæ passionis sapientiam tradere possit, non nisi *de multiplici fraude Pontificum Romanensium in Cruce signatorum expeditionibq ad terram sanctam recuperandam adornandis, ut & de verâ expeditione mentis & studiorum nostrorum ad cœlestem Hierosolymam sub salutari Crucis Jesu Christi signo*, verba faciet. Argumentũ, ut meditatione, sic auscultatione dignissimum! Dabitis itaq; operam, Cives Academici, qui Christo crucifixo dedistis nomina, qui sub crucis ejq vexillo arma geritis, ac æternum gloriæ expectatis triumphum, ut frequentes compareatis, & Christianam

tum vitandæ superstitionis, tum colendi Jesu crucifixi rationem imbibatis, quo & salvatori vestro debitum exhibeatis honorem, & percipiendis beneficiis cruce Christi partis, idonei efficiamini. Valete PP. Argentorati X. April. Anno salutis reparatæ M. DC. XXXIII.

DISSERTATIO III.

De multiplicibus fraudibus in expeditionibus ad terram sanctam sub signo CRUCIS adornatis, & vera expeditione mentium studiorumq; nostrorum ad cœlestem Hierosolymam sub salutari CRUCIS JESU CHRISTI signo.

NOlite timere, scio enim, quod JESUM, qui crucifixus est, quæritis! Auditores! Nolite, inquam, timere, scio enim, quod JESUM, qui crucifixus est,

quæritis. Vox hæc est unius ex geminis cœlestis militiæ legatis fortissimis, invictissimis, splendidissimis, sepulchri JESU crucifixi custodibus & præsidiariis. Postquam enim ad sepulchrum cœlestis pulchritudinis pervenerant pio timore perculsæ fæminæ, & in vestibulo ejus angelum offenderant, qui lapidem ostiarium removerat; in interiori aditu, crypta anteriore, alterum offendunt throni immensi principem, delitias suas in mirando loco, qualem nec cœlum nec tellus similem habet, quærentem, è cujus facie multiplex radiorum series fulguris instar promicuit, quem vestimentum cœlestis candoris luce coruscans tremendum fecit: cujus hæc vox, inter radios & candorem incredibilis serenitatis relonans, divinum quendam affectum mentibus territis indiderat, in quo gaudium, humano eloquio superius, timori gravissimo sese miscuit, & admirandorum

dorum magnitudine, ad majora intelligenda, suscitavit. Credo vos eodem hodie affectu indutos esse. Summa vobis felicitas est, JESUM crucifixum quærere. Summa gloria, JESUM crucifixum habere! qui sanctissimè habetur, cum piè quæritur: & magno ardore quæritur, cum sancto amore habetur. Quæritis JESUM crucifixum in utero virgineo, & sanctissimis conceptibus adoratis cœleste auxilium... mentes vestræ virgines sunt castæ, sanctæ, intemeratæ, quas sistitis JESU crucifixo, sponsas, quas ducat; templa, quæ habitet religione & sacerdotio; domos, in quibus amicissimum incolatum quærat; imò uterum, in quo vobis nascatur. Quæritis JESUM crucifixum in præsepio, quod incunabula sua esse voluit Dominus orbis. Nam pectorum vestrorum recessus, præsepe sunt, septimento sancti Spiritus coronata; stramen vos estis, in quo cubat caput cœlestis sponsi, sed stra-

men, flamine æterno consecratum. Quæritis JESUM crucifixum in ulnis Parentum suorum; Patris, diligentissimi curatoris; Matris, benignissimæ nutricis. Imò vestris ulnis illum complectimini, &, quæ magna gloria, quia JESU crucifixo fide atq; affectu paretis, parendo parentes ejus factiestis: quod decus cum perenni gaudio pariendo sanctissima Maria obtinuit. Quæritis JESUM crucifixum in horto, in sudore sanguineo, in tremendo horrore æstuantem: &, quæ inquisitionis vestræ dignitas, corda vestra hortus sunt, paradisus sunt, in quo mentes vestras purpurat sudore sanguinis sacrosancti, JESUS crucifixus, ne in tremendi horroris æstu concussi succumbatis. In vobis rorulentæ illæ guttulæ radiant, quibus, Regi nostro JESU crucifixo conformes, ad eundem thronum anhelatis, & æternum paradisum, spreta mortalitate, possidebitis. Quæritis JESUM crucifixum,

fixum, ut prodatis, ut vinciatis, ut capiatis. ita fides vestra, ita conscientia, ita dominator in vobis habitas jubet. Proditis sancto vitæ habitu, quem in secreto pectoris vestri foveatis spiritum, cujus nutibus atq; auspiciis regamini. Latere non vult crucifixus JESUS, sed sanctis se manifestat documentis, nisi ubi sanguinis sui lavacro lavit laterem, ubi latebras pertinacis malitiæ offendit, ubi esse non potest sine divinæ vindictæ æstu. Vincitis JESUM crucifixum, non illis catenis, quibus perdita cohors internecioni mancipavit innocentissimum caput, caput omnis beatitudinis, ducem vitæ: sed illis divinis, illis devotis & ardentibus, quibus firmius adstringitur tanti pretii pararius, tantæ felicitatis vindex. Illis vinculis vincitis sanctissimum redemtorem, quæ ipse in vobis struxit & strinxit æternus Spiritus, quibus JESUS se induit quamplurimis miraculis & mysteriis, quæ ita desiderat &

rat & ambit, ut thronum suum, suam gloriam, suas potestates, suos principes, suas dominationes illis nexibus postponere videatur. Vincitis JESUM fide. quantillum vinculum, quanta possessio, quanta obligatio! Scilicet perfidia vinciendus fuerat, quem vos benè, sanctè, salubriter fide vobis obstringitis? Vincitis JESUM amore: in crucem, dolores, vulnera, livorem, vibices, sanguinis grumos, conjicitur vester amor; inter hæc miseriarum incrementa & ludibria, in quibus incuriosus æternitatis orbis collabascit, hilaratur amor vester, flammas & jubila mittit, gaudet innecti, gaudet immergi. Scilicet odio & diris vinciendus fuerat à Judæorum immanitate, quem vos tanto charitatis incendio allambitis, tàm fortibus lacertis cordi vestro adstringitis. Capitis JESUM crucifixum, caput vestrum, non eâ truculentia, quam inferis devota capita Servatori mansuetissimo intu-

lerunt,

lerunt, sed captu salubri & autore perennis boni. Quem orbis capere suis nequit angustiis, velut interminabilis majestatis Dominum, quem, cum angelicarum mentium stupore, carnis humanæ lineamenta comprehenderunt, vel qui potius intra artuum illorum arctitudinem colligere suæ Deitatis copias voluit, ut nos capere posset, qui carnem & sanguinem assumsit, ut nos assumere posset, quem ingrati orbis incolæ suscipere noluerunt, imò ceperunt, ut rejicerent eum, sine quo nemo cœpit vivere, aut Deum concipere, illum cum triumphante, cum militante sanctorum concilio vos capitis, ut æternum capiamini & in æternæ tranquillitatis custodiam rapiamini. Quæritis JESUM crucifixum in sinu S. Petri, verticis Apostolorum. Docet vos ille, quantum vertiginosa temeritate in præcipitium sese prostraverit, cum ignorare, negare, ejurare JESUM cru-

cifixum vellet. Docet ille vos, nihil ad gloriam promtius, nihil ad divinam felicissimamq; amicitiam rectiꝰ esse, quam inter ferratas etiam legiones, inter crudelitatis extremæ ministros, inter vincula & catenas, deponere illum pudorem, qui Christi crucifixi animosam professionem ponere non erubescit. Docet vos ille, frustra quæri à nobis JESUM crucifixum, si negatur esse in nobis, cum quæritur è nobis. Quæritis JESUM crucifixum apud Judam Iscariothem, & videtis eum ab illo non quæsitum, sed proditum. Videtis suspendio fauces suas præclusisse, qui non ad raucedinem usque & lacrymas quæsivit JESUM, qui magno clamore & lacrymis salutem orbis restituit. Videtis ex infelici trabe pendulum, qui è JESU salvatoris monitis dependere noluit. Videtis suspensum, qui non suspenso gradu ad turpissimum ex vendito Patrono lucellum properavit. Videtis

animam

animam ex ventris ruptura per viscera elapsam, quæ intra præcordia JESUM osculari noluit, ut falso salutaret osculo. Quæritis JESUM crucifixum in Pontificum Maximorum palatiis: sed animadvertitis ibi JESUM tristi damnatum sententia, & iniquissimo onustum anathemate. Vos lætiori sententia prosequimini JESUM vestrum & albo honoratis calculo, ut sententiam lætam, perpetuæ gloriæ nunciam, & album feratis calculum. Nulla vobis videtur sententia magis aut horrida, aut infelix, quam quæ negat, sinceris alacribusq; pedibus in Domini JESU sententiam eundum esse. Vos in palatio immensæ gloriæ quæritis JESUM, & inter beatorum ac sanctorum cœtus illius throno adrepitis, qui cuncta implet, qui palatii sui radiantis atque felicis quendam splendorem intra pectora fidelium misit, ut imaginem quandam futuræ beatitudinis conciperent. Pontificem summum, ma-

ximum, unum honoratis JESUM crucifixum, & quotquot innocentissimo crucifixo sese vicarios dant, ubi vicibus nullis opus est, Pontifices maximos, summos, solos, eos flagellis & cruce dignos judicatis. Quæritis in aula Herodis derisum & alba vestem actatum JESUM crucifixum, regni & sacerdotii consummatissimi immensiq; candidatum, innocentiæ speculum, ut vestibus albis superinduamini, candidati æternitatis, innocentia coronandi. Quæritis in dicasterio Pilati JESUM, crucifixum vestrum amorem: & videtis ibi columnæ alligatum, nodosis laceratum flagellis: spinea delusum corona: sceptro ex arundine ludicro præditum; purpura attrita coopertum, Regem cum sibilo, sputo & cachinno salutatum. Advolvimini supplices tam funesto spectaculo, & dicitis; Salve columna & firmamentum salutis nostræ, salve cœli robur, angelorum virtus, sanctorum

ctorum potentia, noſtræ preces te »
fulcro nituntur, noſtra fides in te fir- »
ma eſt, noſtra ſanctitas in te robora- »
tur. Stet in pectoribus noſtris firmis- »
ſima iſta columna, cui fides alligetur, »
ad quã caro noſtra caſtigetur, firmet, »
firmet illa nos, ut columnæ ſimus in »
templo ſancto Dei! Salvete flagella, »
tincta potentiſſimo Salvatoris cruci- »
fixi ſanguine; his pellitur horrendi »
furoris ex abyſſo draco, his coercetur »
turpiſſimæ libidinis fervor; his diſcit
erubeſcere effrons mundus, & ſui ali-
às conditoris contemtor. Salve co-
rona ſpinea! ex hac crevit nobis lilium
Saronenſe, roſa Hieroſolymæ cœle-
ſtis, flos immortalitatis. Sãguine pur-
purati ſpinarum iſtarum aculei ſupra
aurum fulgent. Lucem amittunt &
decus ſuum regum coronæ, quamvis
auro & gemmis pretioſæ, niſi e ſpinis
illis ſplendeant. Salve fœcundum a-
rundinetum, ex quo nobis ſceptrum
gloriæ perennis crevit! Sic vos JESUM
cruci-

crucifixum salutatis, dum quæritis, quem fœda saliva ex inferna legione macularunt milites. Sic vos in dicasterio divino statis & triumphatis. Properatis autem etiam ad Calvariam, & JESUM crucifixum quæritis. Ibi demum in cruce cruentum, extensum, clavis perforatum, livore flagellationis perfusum, suspirantem, intercedentem, matrem sanctissimam aquilinis alis B. Johannis commendantem, sitientem, de derelictione atq; defectu jucundissimi illius & ineffabilis sensus, quo Deitatis plenitudinem & gloriam in se habitantem sæpissime intra se animadvertit, querulantem, paradisum latroni resipiscenti pollicentem, morientem, & spiritum suum in sinum Patris æterni effundentem, perfossum lanceâ, exanimem, deprehenditis. Tanta miracula dum in Calvaria intuemini, in Calvaria cœlum meditamini, & optatis Crux esse, cui junctus sit ille Cruentus,

entus, ut mundet perpetua justitia, peccatis sordidatos: cui se implicet sanctissimis suis lacertis ille extensus: cui affigat se verbi & mysteriorum clavis, ut in divulsus hæreat: quam livore suo perfundat, ne pereat, quem peccatum spurcavit & perdidit. Miscetis JESU suspiriis vestra, & in cœlo resonantia attenditis. Acceditis etiam ad felicissimum intercessorem, & causam vestram intimo & unico apud Deum Patrono commendatis. Curatorem illum animab9 vestris exoptatis, in quibus felici fœcunditate sanctus Dei Spiritus illum crucifixum enixus est. Sititis Dominum JEsum crucifixum, quem dolorum cõcatenata immanitas omni pene succo exhausit, & in illo arido atq; sitibundo vestram suavitatem, vestrum succum, nectar & ambrosiam vestram, aquas salutis & delicias immortalitatis unicè avetis. Cum tripudio & fausta mentium exultatione sentitis in vobis JESUM

cruci-

crucifixum, in quo, si assumtam in tempore & immêsę personæ insitam naturam spectes, ita sese subduxit suavissimus & sereniſſimus Deitatis nutus, ut vobis perpetua tranquillitate annueret. Illas divinas & frequentibus gemitibus mixtas JESU querelas, accusationum Satanicarum esse lituram auditis. Ex paradisi dispensatore, sortem vestræ felicitatis capitis. Cum Christo mori vobis lucrum & voluptas est, ut novo Spiritu animemini & æternum vivatis. In tantæ dulcedinis rerum admirandarum concursu prosequimini, cœlestes in rerum mentes, JESUM crucifixum, fontem gemini & stupendi rivi, sanguinis & aquæ; legitis saluberrimas guttulas è cordis Dei penetralibus manantes, & ita inebriamini ubertate miserantis gratiæ, ut etiam ad sepulchrum perennis vitæ proficiscamini, & per ipsum etiã summorum Pontificum sigillum, lapidi ostiario impressum,

sum, perrumpatis, & ita in aditu & adyto beatissimo subsistatis: adeo vos nihil divellit à crucifixi vulneribus, ut semper in illis rorem sempiternæ restaurationis sorbeatis; adeo tolerare divortium à crucifixo spōso non potestis, ut in cruce arrhabonem non rumpendi amoris quæratis. Et, uti credo, librant se jam mentes vestræ & ad Hierosolymam sanctam & supercœlestem volitaturiunt. Totæ fervidæ, totæ igneæ ita JESUM crucifixum, ita CRUCEM dominicam, non truncum, sed meritum ex antiquitate cōpellant. *Crux Domini mitte lucifluas coruscationes gratiæ tuæ in corda eorū, qui Te honorant, divinoq; amore incensi osculantur; ô crux toti mundo desiderabilis, per quam lacrymarum nubila dujecta sunt, nosq; à laqueo peccati erepti & ad interminatam lætitiam translati. Ostende pulchritudinis tuæ decorem, remunerandæ continentiæ concede servis tuis hoc ardenter postulantibus, copiosam*

Extat in hymnis Græcis à Jac. Gretsero edito.

sam tutelam Tuam, magnamq; misericordiam. Salve vitalis crux ecclesiæ, quæ speciosus paradisus es, lignum incorruptionis, quod nobis æternæ gloriæ fructū protulit, quo dæmonum copiæ fugantur, angelorum ordines lætificantur, fideliūq; cœtus diem festum agitat. Est quippe crux armatura, quæ superari nequit, robur invictum; Regum victoria, sacerdotum gloriatio. Salve vivifica crux, pietatis invictum trophæum, paradisi janua, fidelium fulcimentum, Ecclesiæ propugnaculum, qua abolita est maledictio, evacuata & absorpta mortis potentia, qua à terra ad cœlestia subvecti sumus. Est enim armatura inexpugnabilis, dæmonum adversatrix, gloria martyrum, sanctorum verum ornamentum, portus salutis, quæ mundo magnam misericordiam donat. Adeste duo protoplasti, qui cœlestibus choreis excidistis invidia homicidæ per amaram voluptatem gustati ligni vetiti. Ecce omni veneratione dignissimum lignum progreditur, ad quod

eum

cum gaudio accurrentes, osculamini, & cum fide acclamate, Tu nostrum subsidium es, crux venerabilis, lignum beatum, cœlestis planta, cujus de fructu participes effecti, immortalitatem adepti sumus, receptis constanter paradisi prioris deliciis, insigniq; misericordia acquisita. Sic vos JESUM crucifixum quæritis, sic JESUS crucifixus vos quærit, sic universus sanctorum chorus JESUM crucifixum quærit & invenit: quos rectissimè angeli ſ. inclamatione compello: Nolite timere, scio enim, quod JESUM, qui crucifixus est, quæritis. Aliter, & quidem non sine improba mixtura, sive dementis superstitionis, sive fraudulentæ deceptionis quæsitus fuit dudum JESUS crucifixus in eo regno, ubi, cum crucem nullibi frequentius & splendidius pictam atque adornatam videas, nullibi proculcatam magis aut adscititiis dehonestamentis inquinatã deprehendas. Nolo singulas vias, singulos cuniculos, singulos

gulos aditus, singulos mæandros recensere, quos JEsu crucifixo quærendo præstruxerunt, præfixerunt, præscripserunt. Fuit illa inter illos JEsu crucifixi quærendi & inveniendi celeberrima ratio, quam immensis verborum ampullis & impudentissimis prædicatorum agminibus incauto & immane jugum subeunti Christiano orbi persuaserunt, *expeditiones in terram sanctam, pro recuperanda Hierosolyma, urbe quondam sanctissimâ & divina habitatione super universum orbem honorata:* pro vindicando è barbarorum manibus sepulchro dominico: pro asserendis vestigiis ad orbis Salutem à summa salute calcatis, pro eruendis è captivitate in libertatem tot monumentis sanctissimorum Patriarcharum, Regum, Prophetarum, Apostolorum, Confessorum, Martyrum: pro Dominicæ crucis ligno investigando & restituendo: pro incunabulis S. religionis nostræ è turpis-

pissima servitute eximendis, in qua illud cœlum, è quo olim stupendis descensib⁹ frequenter summus Deus suum de salute nostra sensum nobis aperuit, è quo scala mirāda angelorum copias descendentes vidit familiarissimus Deo Patriarcha, è quo gloriam suam docuit ineffabilibus monumentis, è quo filium suum, pretium vitæ nostræ & perennis sortis, clara voce, nominavit, è quo filius Dei uterum virgineum adiit, è quo Spiritus S. columbina effigie quasi vestitus JEsum è Jordanis fluentis regressum petiit, è quo splendidæ & potentissimæ angelorum sanctorum legationes & legiones ad homines missæ sunt, illud, inquam, cœlum quotidianis blasphemiis sub religionis adorandæ specie lacessitur: in qua illa terra, quam olim sanctissimi viri, orbis unica ornamenta, quibus mund⁹ non erat dignus, habitarunt, è qua Deo aggesta altaria, substructa sacraria, templum omniū

splen-

splendidissimum erectum, pasta holocausta, promta thymiamata, parta reliqua instrumenta religionis, nunc draconum, nebulonum, basiliscorum & quorumvis monstrorum habitaculum est. Ut hæc præstarent, innumerabili exercitu collecto, voto obstricti, cruce signati, relicta patria & familia, Hierosolymam illam Palæstinam cogitarunt, contenderunt, oppugnarunt, expugnarunt. Hoc obtento JEsum crucifixum se quæsivisse, possedisse, sibi persuaserum. Videbimus paulisper, Auditores JEsu crucifixi quæsitores, amatores candidissimi, *an expeditiones illæ crucesignatorum expeditæ undiquaque fuerint & ad formã peregrinationis expeditionisq; sanctæ & Christianæ compositæ, annon potius variis fraudibus Papismi corruptæ & Christianismo adversariæ?* Addemo veram expeditionem mentium studiorumq; Christianorum ad Hierosolymam supracœlestem sub salutari crucis Jesu Christi signo.

Luceat hîc nobis lampas S. Crucis lucidissima, helice S. SPIRITUS! Et vos alluceſcite amore, favore, Auditores optimi!

Postquam ergo Muhammedanorum & Sarracenorum rabies ſuam ſuperſtitionem per omnia Orientis ſpatia longè latèq; ſparſiſſet, postquam Ægyptum, Syriam, Libiam, Cilicium, Phœniciam, Palæſtinam, ipſamque Hieroſolymam inundaſſet, Africam, & in ea Mauritaniam utramq;, Numidiam & alias regiones abſorbuiſſet, postquam ubiq; Chriſtiani in exilia, in flammas, in cædes, etiam in errores ruere cœpiſſent, & omnia ſecuro atq; incurioſo oculo diu ſpectaſſet ille Monarchiæ Eccleſiaſticæ tunc muſſitator furtivus, nunc raptor violentus, Papa veteris Romæ, cœpit anxios & ſuſpenſos habere dolor ille quamplurimos, qui ex memoria amiſſorum tot ſanctiſſimorum locorum naſcebatur, quem auxerunt triſtiſſi-

ftissima spectacula rei Christianæ in eas angustias prolabentis, quæ ex orbis sanctissimo dominatu in extremam servitutem præcipitari visa est: desiderabantur illa religionis nostræ incunabula, martyria, trophæa, monumenta, domicilia, instrumenta, signacula, Crux, hortus, calvaria, sepulcrum, montes, cryptæ, vestigia, ipse aer, tot sanctissimis documentis cœlitus promulgandis assuetus & usurpatus, suspirabatur. Et quod maximum est, JESUS crucifixus amittendus videbatur, nisi ad amissas Orientis opes atq; rei Christianæ quondam delitias recuperandum properaretur. Autor & princeps in expeditionibus cruciatis consiliarius, adde & mod. imperator, fuit Pontifex Romanus, il-
Bzov. de Pöt. Rom. le Christianorum Monarcha, supremus mortalium, Catholicæ Ecclesiæ primas, curator, legislator, religionis vertex, imperii columen, servator, orbis arbiter & Pacarius indeficiens.

Idem

Idem quamvis nunquam Hierosolymæ visendæ desiderio teneretur, ut Romanæ monarchiæ exuviis sese induere & principatū orbis arcanis occultissimis firmare sibi posset, quamvis nec sepulchrum Domini frequentare inter vota unquam habuerit, throni regii adfectator, nec crucem exosculari atq; amplecti gestiverit, Crucis Christi advertarius, bullis tamen, diplomatibus, promissionibus, legationibus, minis & fulminibus remp. Christianam eo excitavit. Moniti Imperatores, Reges, Principes, Primates, Patriarchæ, Metropolitæ, Archiepiscopi, Episcopi, tota Prælatorum series invitata. Missi etiam Prædicatores S. Crucis, qui miris & stupendis persuasionibus extimularunt ad iter minus promtos. Placet spicilegium monitorum & stimulorum ex Prædicatore S. Crucis celeberrimo, Humberto, familia Romano, natione Burgundo, Generali Ordinis

dinis Prædicatorum, colligere. Prima ejus invitatio hæc est. *Ecce, dilectissimi, sicut colligitur ex diversis historiis, jam sunt plusquam sexcenti anni, quod ille ribaldus Mahometus cæpit inire bellum contra Christianitatem, & in tantum prævaluit, peccatis nostris exigentibus, quod Dominum nostrum Jesum Christum, qui adorabatur & colebatur in partibus Orientis, quæ dicitur Asia major, tertia videlicet pars habitabilis & q. media pars secundum quantitatem, expulit inde fere de omni loco, loca sancta ipsius omnia profanavit, servos ejus innumerabiles trucidavit, deinde totam Africam, quæ est pars tertia, in qua erant episcopatus quadringenti quadraginta quatuor, secundum Cronicas, occupavit gens ejus, adeò quod non dicitur ibi esse modo Episcopus, nisi unus circa Marrocium, qui præest paucis tributariis Christianis. Deinde mare mediterraneum transiens in Hispaniam, quæ est in Europâ, tertiâ videlicet parte habitationis hu-*

nis humanæ, in qua nos sumus inæstimabilia mala intulit Christianis habitationis ejusdem, pertransiens usq; circa Franciæ regnum. Et licet repulsa fuerat gens illa per Carolum & per Francos à Francia & ejus vicinia, tamen adhuc partem magnam Hispaniæ detinet occupatam. Porrò Christianus exercitus, olim ad terram sanctam, cujus desolatio magis nos debet tangere, transiens, maximam partem illius recuperavit, sed variis infortuniis sic paulatim jam fere totam amisimus, quod non remanent nobis ibidem loca, nisi pauca valde. De his autem paucis, quæ nuper amisimus, est Castrum, quod dicitur Sapheth: in quo duo millia Christianorum in fide constantium crudelitate Sarracenica peremti sunt. Castrum verò istud in terra, & longè aliquantum à locis maritimis situm, erat ad maximum munimentum locorum aliorum paucorum, quæ nobis solum circa maritima remanserunt. Unde modo Sarraceni venire possunt usque ad civitatem

achonensem, nullam munitionem Christianis habentibus inter ipsos & civitatem prædictam. Proinde fratres nostri Christiani in tanto discrimine constituti & attendentes, quod diu tenere non possent loca illa pauca, quæ remanserũt in maritimis, sine auxilio festinato, & videntes, quod ex nulla parte potest eis venire auxilium, nisi à nobis, qui sumus circa mare ab occidente, cum à dextris sint eis Ægyptij, ab Austro à sinistris Græci ab aquilone & alii multi schismatici, & ab ante ad Orientem Tartari, ad Dominum Papam, & magnates, & alios Christianos recurrunt, periculum Christianitatis, quod apud eos imminet, corde nũciantes amaro, & festinum subsidium postulantes, propter hoc ex parte Domini Papæ, per diversas mundi partes, nunc multi & diversi Prædicatores Crucis celeriter diriguntur, ut in tanta necessitate accingantur viriliter Christiani, in subsidiũ fidei Christianæ. Hujus igitur auctoritate hortamur & obsecramus per illũ

qui

qui in bello Crucis fuit pro nobis mortuus, ut vos attendētes, quomodo & sancti angeli pugnant incessanter pro Deo suo contra inimicos ipsius, quomodo etiam omnis creatura insensibilis hoc idem facere est parata, ideò præparantes vos ad succurrendum fidei Christianæ, & armantes vos armatura Dei, Cruce videlicet, quam vobis offerimus, omni occasione remota devotè & celeriter veniatis. Qui benedictionem Dei desiderat, qui societatem angelorum amat, qui ad incorruptam coronam suspirat, veniat & crucem suscipiat & hæc omnia consequetur.

Altera Humberti invitatio hæc est. Ecce videtis, charissimi, quo ducant bella mundi, ut frequenter injusta videtis, & quo ducat bellum Christi justissimum... Movet multos ad bella mundi amicitia seculi. Moveat vos ad istud amicitia Christi. Movet alios ad illa bella vanæ famæ gloria. Moveat vos ad istud cœlestis Patriæ gloria. Movet alios ad illa vitæ præsentis necessitas. Moveat vos ad istud pro-

priarum animarum neceſsitas! Per alia bella diabolus multos trahit ad inferos. Vos autem per iſtud trahere conatur Dominus ad cœlos. Promitto enim ex parte Dei Patris, Filii & Spiritus ſancti omnibus ad exercitum iſtum accedentibus, ſi corde digno, contrito & confeſſi in eo mortui fuerint, illud regnum cœlorum, quod nobis Dominus acquiſivit per Crucem. Et de illo vos inveſtio per Crucem, quam vobis porrigo in præſenti. Venite ergo & nullus renuat recipere tam gloriosam inveſtituram & tantam firmitatem ad regnum glorioſum cœlorum. Ecce videtis, charisſimi, inquit in alia invitatione, quod iſta cruceſignatio eſt peregrinatio crucifixi & in hujus ſignum datur Crux: eſt collectio cujusdam exercitus contra inimicos Crucis ſummos, & ideò in ſpem victoriæ crux portatur. Eſt quædam convocatio ad dedicandum ſe ſervitio JEſu Chriſti, & ideò in dedicationibus ſolent Cruces apponi. Qui vult ergò eſſe peregrino crucifixi, qui vult pro cru-

crucifixo contra inimicos insargere, qui vult relicto diabolo se JESu Christi servitio dedicare, surgat & veniat & accipiat crucem istam. Crux datur peregrinis nostris in signum, quod Christi crucifixio, quæ movit sanctos ad sustinendum mortem pro Christo, movit eos ad exponendum se laboribus istis pro Christo in signum, quod movet eos crucifixus, clamãs voce sanguinea ad vindicandum contumelias sibi factas; in signum, quod sunt in via paradisi; in signum, quod sunt verè populus Jesu Christi; in munimen contra tentationes vitiorum in hoc seculo; in defensionem malorum spirituum in futuro. Felix, qui poterit in extremo judicio gloriari & dicere: Domine, tu portasti crucem propter me de Jerusalem versus locum Calvariæ, qui erat prope; ego vero portavi propter te de terra mea valde longinqua, per mare, per terras, inter hæc & illa pericula. Tu Domine portasti onus peccatorum meorum cum ligno crucis: &

ego propter te assumsi mihi onꝰ qualecunqꝫ, etsi non tantum quam tuum, tu. cum multis expensis & laboribus & periculis peragendum. Tu Domine confusionem sustinuisti propter me in portando crucem tuam benedictam, ego autem honoravi & glorificavi te pro posse meo, portando eam in humeris meis coram Sarracenis & coram gentibus universis. *Felix, qui nunc disponit sermones suos sicut in judicio. Qui sic vult disponere, veniat & accipiat crucem istam benedictam. Qui vult cruciatus futuros inferni vel purgatorii evadere & post sordes peccatorum ad mundiciam baptismalem redire, & cum sanctis martyribus absq; omni obstaculo ad illam beatam patriam evolare, veniat & accipiat beatissimam crucem*

§. 14. Humberti. *istam.* Dicitur, *quod non reputatur unus Sarracenus, qui non visitat sepulchrum istius ribaldi Mahometi. qualis est igitur Christianus, qui non habet devotionem ad visitandum loca tam beata, ubi stetit*

runt pedes Salvatoris Dei. Felix & plus- c. 19.
quam felix, qui Domino exprobranti in die judicii peccatoribus passionem pro eis toleratam, respondere poterit & dicere. Domine, tu pro me fuisti in cruce una die, & ego pro te in cruce & cruciatibus multis propter Te multis diebus. Tu in cruce habuisti pedes affixos propter me, & ego propter te in navi propter multitudinem peregrinorum sic fui angustiatus, ut non possem pedem extendere. Tu vinum corruptum in cruce bibisti propter me semel, & ego aqua putrida, vermibus scaturiente usus sum in navi propter te multis diebus. Tu fœtorem cadaverum in loco calvariæ sustinuisti ad horam, & ego fœtorem sentinæ propter te multis diebus. Tu in cruce pugnasti contra inimicos meos, & ego cum cruce tua exposui me ad pugnandum multoties contra hostes tuos.

Hæc sunt inciramenta, hi stimuli, quibus crucis prædicatores usi fuerunt ad expeditionem illam cruciatam: ita supra conditionem mortalium, supra angelos ferè, supra cœlum, in paradisum, in sinum JESU crucifixi illius militiæ candidatos & adscriptitios collocarūt. Quos tantis pollicitationibus ad exercitum pellexerunt, sacræ militiæ istius charactere, CRUCE, donaverūt. Hinc crucesignati, cruciferi, cœlestis militiæ stigmate insigniti vocabantur. Ferebatur crux palam in vestimento ad dextrum humerum, mandato summi Pontificis, vel etiam in fronte sive anteriore pilei parte. Distinctis nationibus aut exercitibus diversi quoq; coloris Crux data, rubea aliis, alba aliis, aliis viridis. Non omnibus manu Pontificis Summi, aut Episcopi, aut Prædicatoris S. Crucis dabatur Crux, quidam etiam suo quopiam affectu & instinctu crucem assumebant & vestibo

assue-

assuebant. Benedicebantur vero cruces sacris militibus solenni ritu distribui & affigi solitæ. Extat in Romano rituali hujusmodi consecrandæ crucis precatio. Si placet omnem superstitiosi cœpti lineam contueri, habete. *Profecturus in subsidium & defensionem fidei Christianæ, seu recuperationem terræ sanctæ, genu flectit ante Pontificem, coram quo unus ministrorum tenet crucem benedicendam, illi imponendam. Tum Pontifex stans sine mitra dicit super crucem.* Omnipotens Deus, qui crucis signum pretioso filii tui sanguine dedicasti, quiq; per eandem crucem filii tui Domini nostri JESU Christi mundum redimere voluisti & per virtutem ejusdem venerabilis crucis humanum genus ab antiqui hostis chyrographo liberasti, te suppliciter exoramus, ut digneris hanc crucem paterna pietate benedicere & cœlestem ei virtutem & gratiam impertiri, ut quicunq; eam in passio-

nis & crucis unigeniti tui signum ad tutelam corporis & animæ super se gestaverit, cœlestis gratiæ plenitudinē in ea & munimen valeat tuæ benedictionis accipere, Quēadmodū virgā Aaron ad rebellium perfidiam repellendam benedixisti, ita & hoc signū tua dextra benedic, & contra omnes diabolicas fraudes virtutem ei tuæ defensionis impendas, ut portantibus illud animæ pariter & corporis prosperitatem conferat salutarem, & spiritualia in eis dona multiplicet. Per eundem Christum Dominum nostrum. Amen. *Deinde Pontifex adspergit crucem ipsam aqua benedicta, & super recepturum ipsam dicit.* Oremus! Domine JEsu Christe, filii Dei vivi, qui es verus & omnipotens Deus, splendor & imago Patris, & vita æterna, qui tuis discipulis asseruisti, ut quicunq; vult post Te venire, semetipsum abneget, & suam Crucem tollens, te sequatur, quæsumus immen-

sam

sam clementiam tuam, ut hunc famulum tuum, qui juxta verbum tuum seipsum abnegare, suamque crucem tollere, & te sequi, ac contra inimicos nostros pro salute populi tui electi properare & pugnare desiderat, semper & ubique protegas, ac à periculis omnibus eruas, & à vinculo peccatorum absolvas, acceptumq; votum ad effectum ducas optatum. Tu Domine, qui es via, veritas & vita, & in te sperantium fortitudo, ejus iter bene disponas, & prospera cuncta concedas, ut inter præsentis seculi angustias tuo semper auxilio gubernetur. Mitte ei Domine angelum tuum Raphaelem, qui Tobiæ comes fuit in itinere suo, ejusq; patrem à corporis cæcitate liberavit, & in eundo & redeundo sit ei defensor contra omnes visibiles & invisibiles hostis insidias & omnem mentis & corporis cæcitatem ab eo repellat, qui cum Deo Patre & Spiritu sancto vivis & regnas

Deus

Deus per omnia secula seculorum. Amen. *Tum Pontifex sedens accepta mitra imponit illi Crucem dicens.* Accipe signum crucis, in nomine Pa † tris & Fi † lii & Spiritus † Sancti, in figuram crucis, passionis & mortis Christi, ad tui corporis & animæ defensionem, ut divinæ bonitatis gratia post iter expletum salvus & emendatus ad Tuos valeas remeare, per Christum Dominum nostrum. *Demum Pontifex adspergit cruce signatum aqua benedicta. Qui genuflexus osculatur manum Pontificis & discedit.* Imo & angelis inferis, crucis Dominicæ perpetuis hostibus, & cruce signatorum infestatoribus maximis mandare solebat Romanq Pontifex, ne cui in expeditione impedimento & detrimento sint, ne quem suis insidiis adoriantur, ne quoquo modo sanctissima crucesignatorum consilia turbent. Superis vero & divinis angelorum myriadibus id diligenter inculcare, observent accura-

Bernardin. Sen. serm 3 Mar. part 3

accuratissime animas sive in itinere, sive in bello sacro à corporibus suis divulsas, easque actutum cœlestibus gaudiis inferant. Ille nimirum Pontifex, qui vicem Dei gerit in terris, si Bernardino Senensi, & Roderico Zamorensi; qui parens & princeps, divino jussu & humanæ rationis vinculo, est generis humani, si Pomponio Læto; qui basis & fundamentum universalis Ecclesiæ, si Jacobo Spinulæ Genuensi; qui est vicaria Christi persona, quam gerit in terris, ut divina & cœlestis colenda, si Petro à Cordua Comiti Capræ, & Hieronymo Balbo Episcopo Gurcensi; qui super omnem Principatum & potestatem, & omne quod nominatur sive in hoc sive in futuro seculo à Deo constitutus, si Ferdinando Velasco, Johannis II. Lusitaniæ & Algarbiorum Regis ad Innocentium VIII. Oratori; qui super orbis terræ commune amplissimúq; domicilium & super omnes Christianos

nos filios constitutus, si Roderico de sancta Ella apud Sixtum IV. Oratori; cujus dignitate nulla alia non modo inveniri, sed ne excogitari quidem excellentior in terris potest, si Bartholomæo Scalæ Florentinorum apud Innocentium VIII. Oratori; quem non secus ac mortalem Deum colant omnes, venerentur & observent, si Johanni Francisco Mariano, Johannis Galeazii Ducis Mediolani apud eundem Innoc. VIII. Oratori; quo nihil majus in terris dici aut fingi potest, cui claudere cœlos & aperire, detrudere ad inferos & eruere, quoscunq; velit, concessum, si Bernardo Justiniano Venetorum ad Paulum II. oratori; in quo Christus ipse summus rerum opifex & conditor ac humani generis redemtor adorandus, si HieronymoDonato Venetorum ad Julium II. Oratori; qui & in superos & in inferos habet imperium, si Michaeli Risio Ludovici XII. Regis Gallia-

rum

rum, Hierosolymæ & Siciliæ ad Julium II. Oratori; cui à DEO rerum omnium tributa potestas, si Erasmo Vitellio Episcopo Plocensi, Alexandri Poloniæ Regis ad eundem Jul. II. legato; qui Dominum nostrum JEsum Christum potestate & autoritate refert, si Uberto Foliettæ, Oratori in Comitiis Cardinalium ante Electionem Pauli IV. audito; qui vim & numen immortalis Dei in terris refert, si Achilli Statio Rhodiorum militum ad Pium V. Oratori; qui Princeps & parens est Deo simillimus, si Petro Magno, Octavii Farnesii Placentiæ Ducis ad Gregorium XIII. oratori, & aliis fastigii superbissimi assentatoribus credimus. Cur enim non angeli superi inferiq; parerent ei, quo nihil majus videt Titanis & Lunæ globo, quem summa mundi mens sibi esse proximum jussit. Ita scilicet animosissimè Crucesignati proficiscuntur, freti auspiciis ejus, qui natu est

Justus Ricle- jus Bel ga in Pane- gyrica

est divinæ crucis signa inter victrices aquilas & dracones ad sempiternam sacrosanctæ Ecclesiæ gloriam, debellatis Christiani nominis hostibus statuere, h. e. Pontificis, quem hoc elogio insignit Vincentius Caraffa, Prior Capuanus, Equitum Hierosolymitanorum Orator.

Cæterum non cruces solum ex manibus sacerdotum cum certa precatione & benedictione accipiebant, sed & arma, gladios, baculos, spontas, speras, vexilla. Sic enim Rigordus de Philippo Rege Franciæ, Hierosolymam profecturo. *Cum lacrymis ab oratione surgens, sportam & baculum peregrinationis de manu Guilielmi Remensis Archiepiscopi avunculi sui, Apostolici Legati, devotissimè accepit.* In gestis Ludovici Regis, filii Ludovici Crassi, legitur. *Venit Rex, uti moris est, ad B. Dionysii, à martyribus licentiam accepturo & ibi post celebrationem missarum baculum peregrinationis & vexillum*

lum B. Dionysii valdè reverenter accepit. Sic Rogerus in annalibus Anglicanis *Perrexit Rex Angliæ Richardus Turonem & ibi recepit peram & baculum peregrinationis suæ de manibus Wilhelmi Turonensis Archiepiscopi.* Sic Abbas Urspergensis. *Omnibus ultra quam credi potest catervatim currentibus ad Ecclesias populis novo ritu cum fustibus & bacellis, capsellisq; sacerdotalis benedictio dispartitur.*

Uti verò confirmatior esset & omni vinculo sublimior obligatio Christianorum crucesignatorum, ad iter Hierosolymitanum, solenni VOTO se se obstrinxerunt abituri entes. Peperit hoc Votum varias quæstiones diversis decisas votis atq; suffragiis. Quæsitum fuit, utrum invita uxore maritus possit assumta cruce votum Hierosolymitanæ profectionis Deo nuncupare? Ubi Seraphicus atq; Cherubicus Doctor Thomas Aquinas negate respondet. Sed Inno-

Thomas Aquinas quodl. art. 11.

Innoc. C. ex multo extra de voto.

Innocentius III. censet, *tantam esse expeditionis in terram sanctam necessitatem, ut votum de ea concipiendum nuncupandumq; uxoris consensum non expectare debeat.* imo Martinus ab Azpilcueta Navarrus Doctor Canonicus, post alios censet, *uxorem quoq; quantumvis reclamante marito peregrinationem Hierosolymitanam licitè & validè vovere posse, si ea sit conditione, ut aliquos, qui pro terra sancta pugnent, sustentare suis impensis possit.* Qui se voto illo obstrinxerunt, non nisi magna de causa differre tanti propositi iter poterant. Quocirca mandavit Innocentius III. Strigoniensi Archiepiscopo, ne, tametsi jam voto obstrictus, iter Hierosolymitanum iniret, donec turbatus Hungarici regni status tranquillaretur, quia abstentia ejus non parum detrimenti regno allatura erat. At vero Andream Ducem, Regis Hungariæ filium, idem Pontifex ad celerem voti solutionem, etiam anathema-

thematis & regni amittendi metu, adegit.

Gemino tamen modo votum expeditionis Hierosolymitanæ suspendebatur, aut commutatione, aut redemtione. Commutatione quidem, quando loco peregrinationis ad liberandam Hierosolymam aliud quiddam peragendum seu suscipiebatur, seu imponebatur, quod cum labore, sumtuq; æque oneroso erat conjunctum. Redemtione vero, si votum peregrinationis commutabatur in definitam pecuniam, & quis solvebat expensas, quas in eundo, morando, & redeundo facturus erat, atq; ipsum etiam laborem itineris laboribus cōpensabat, solicitio instādo vigiliis, devotius vacando orationib9, in jejuniis fortio se exercendo. Erat vero hæc sive commutatio sive redemtio reservatam Summi Pontificis, qui solus summa sua & eminēti autoritate disponit dispensatq;, ne cui expeditio-

nis

nis illius incumbat ineyitabilis neces-
sitas.

Insuper ut ad arma pro recuperatione terræ sanctæ homines promtiq; atq; alacrius concurrerent, excitati & non parum inflammati sunt propositis promiis, quorum quædam intra cœlorum secreta ostendebatur, quædam inter privilegia & donaria hujus seculi venerunt. Urbanus II. Papa monitus à Petro quodam Gallo, qui, cœlesti oraculo in nocturna visione accepto, JESUM liberationem terræ sanctæ præcepisse, profitebatur, coacto Concilio Claremontano hac pollicitatione ad expeditionem sanctam stimulavit, *fore, ut qui contra Sarracenos arma sumserint, ab injunctu pro delictu pœnitentiis liberentur, & qui in vera pœnitentia discesserint, peccatorum indulgentiam & fructum æternæ mercedis indubitatò habeant.* Repetit eandem Eugenius Pontifex, hæres cathedræ Urbani. Innocentius III. in Concilio

cilio Lateranensi & literis ad Archiepiscopum Magdæburgensem, populumq; Viennensem paria promissa buccinat_, Utq; amplissima subsidia paratet indulgentiæ Pontificiæ liberalitas, etiam ad illos extensa fuit tam beatifica manus, qui aliquid in subsidium terræ sanctæ contribuerent, licet ipsimet ad iter sese non accingerent. Nascuntur hic etiam senticeta quædam quæstiuncularum. *An crucesignatus, qui moritur, antequam iter arripiat, habeat plenariam indulgentiã peccatorum?* Thomas Aquinas judicat, id pendere ex voluntate & bulla Pontificis: si n. indulgentia concedatur accipientibus crucem in subsidium terræ sanctæ, crucesignatus statim habebit indulgentiam, etiamsi decedat, antequam iter arripiat. Rursum quæritur. *Utrum melius moriatur crucesignatus in via eundi ultra mare, quam in via redeundi?* Thomas respondet, illum, qui moritur in reditu, cæteris paribus,

paribus, cum pluribus meritis mori, quam ille moritur, qui moritur adeundo: habere enim meritum ex assumtione itineris, & ex prosecutione ejusdem, itemque ex felici expeditione in tãtæ pretiositatis prælio. Utrũque tamen martyrii gloria coruscare. Et hæc quidem in æternitate sperantur præmia à crucesignatis.

Inter temporalia meritò illa numerãtur, quæ in Claremontano Concilio Urbanus II. proposuit. *Eos*, inquit, *qui ardore fidei ad expugnandos Sarracenos laborem peregrinationis assumpserint, sub Ecclesiæ defensione & B. B. Petri & Pauli protectione, tanquam veræ obedientiæ filios, recipimus, & ab universis inquietationibus, tam in rebus alienis, quam in propriis statuimus manere securos. Si verò quisquam molestare eos interim ausu temerario præsumserit, per Episcopum loci excommunicatione feriatur, & tamdiu sententia ab omnibus observetur, donec & ablata*

lata reddantur, & de illis damnis commodè satisfiat. Episcopi verò & presbyteri, qui talibus fortiter non resiterint, officii suspensione multentur, donec misericordiam sedis Apostolicæ obtineant. Idem suffragium Eugenii & Innocentii III. P.P. promittit. Addidit Lateranensis Synodus sub Innoc. III, ut Crucesignati immunes essent à collectis, talliis, aliisq; gravaminibus. Clericis indultum fuit, ut si & illi ad sanctam militiam sese accinxerint, beneficia sua integra perciperent per triennium, ac si essent in Ecclesiis residentes, & si necesse fuerit, ut peridem tempus pignori valeant obligare.

Postquam igitur ab A. D. 636. usq; ad millesimum nonagesimum annum capta Hierosolyma & variis tormentis sive Christiani incolæ sive advenæ exagitati fuissent, Petri, cujus supra meminimus, incendio prima Christianorum in S terram expeditio exarsit, Urbano Archiflamine Roma-

no

no inflammãte. Innumerabiles Christianorum copiæ effuderunt sese ad illas partes, ubi totum salutis mysterium in promtu atq; propatulo esse existimabant. *Dividebatur*, ait Guil. Tyrius belli sacri scriptor, *maritus ab uxore, uxor à marito, filii à parentibus, nec erat charitatis vinculum, quod huic fervori posset præjudicium facere, ita ut de claustris multi egrederentur Monachi, & inclusi de carceribus, in quibus se incluserant spontanei propter Deum. Non erat in regnis occidentalibus, qui aut ætatis, aut sexus, aut conditionis, aut status vellet esse memor, aut aliquibus persuasionibus deterritus ab incepto desisteret.* Hæc Tyrius, qui & portentorum, & visionum, & signorum in sole & stellis meminit, quibus Deus ad sanctam illam militiam classicum cecinit. *Nimirum*, ait ille, *tota creatura in creatoris militiam se cohortabatur.* Et ut militia satis numerosa esset, audiamus, quid referat Nicetas Choniates.

Erant

Erant in exercitu Hierosolymitano mulieres, non conjunctis pedibus, sed virorũ instar divisis, super palliis equitantes, hastatæ atq; armatæ, ac virili habitu ornatæ, Martio vultu, Amazonibus audaciores, inter quas una excelluit, quasi altera Penthesilea, quæ ob fastigia & limbũ vestium auro intertextum auripes vocabatur. Sexcenta millia in exercitu diversarum gentium mare tranavigasse scribunt annalium sacrorum conditores. Peditum sexcenta millia, equitum verò loricatorum centum millia numerata fuisse, postquam variis in locis jam multa millia occubuerant trucesignatorum, collecto & recensito ad Nicæam universo exercitu, scribit Tyrius. Imo Guil. Malmesburiensis asserit, *ab expugnata Nicæa discessisse septingenta millia.* Itaq; exclamat: *Nunquam proculdubio tot gentes in unam coiere sententiam, nunquã tãta barbaries imperio uni & penè nulli cervicositatem substravit suam.* Succi-

Nicetas Choniatæ l. 1. in gestis Manuelis Imperatoris.

nit Henricus Huntidonienſis illius ævi hiſtoricus: *Hoc eſt miraculum Domini magnum, temporibus noſtris factũ, ſeculis omnibus inauditum, ut tam diverſæ gentes, tot fortiſſimi Proceres, relictis poſſeſſionibus ſplendidis, uxoribus & filiis, omnes unamente loca ignotiſſima, ſpreta morte, petierint. Non perluſtrarunt radii ſolares à prima ſua creatione tantam tam præclaram militiam, tam verendam, tam numeroſam turbã, tot & tam bellicoſos duces: ceſſet Troja, ceſſent Thebæ, duces & principes deſtructionis ſuæ, ut excuſentur nominare; hîc adfuerunt electiſſimi omnium temporum filii fulgentes occidentis, omnes crucis ſigno inſigniti, omnes in regnis ſuis reliquorum fortiſſimi.*

Varia fortuna fuit peregrinantium: quidam ſuo ſcelere periere, quidam tranſitus difficultate & anguſtiis, quidam hoſtium numero. Expugnata tamen Nicæa, ſancto Concilio nobilis urbs, feliciter. Poſt à digreſſis e Ni-

cæa fusus exercitus Turcarum ducé-
torum millium. Symbolum pugnā-
tibus fuit, *Deus vult*. Antiochiam de-
inceps occupant & in ea rursum ob-
sessi, penè miraculo liberantur. Tan-
dem Hierosolymam capiunt, eique
regem Godefridum fortissimum &
nobilissimum in ea expeditione Du-
cem præficiunt, qui tamen vix an-
num in throno illo duravit. Interea
variis mutationibus exercita militia
illa sacra, variis etiam ex diversis Oc-
cidentis partibus aucta fuit acces-
sibus, quos exequi non orationis est,
sed historiæ. Fuerunt seculo nati Ser-
vatoris duodecimo etiam ordines
militares Cruciferorum, occasione
expeditionum Cruciatarum institu-
ti, Templariorum, de quibus jurene
an injuria à Clemente V. Pontifice M.
sublatis & damnatis, nondum inter
se consentiunt Pontificiæ alias omni-
potentiæ defensores: militum Ho-
spitalis S. Johannis Hierosolymitani,

Teutonicorum. Secuta est quadragesimo quinto seculi duodecimi anno insignis & numerosa expeditio duorum fortissimorum heroum, Conradi Romanorum Imperatoris & Ludovici Galliarum Regis, sed infelix & ab Alexio Comneno Constantinopolitano Imperatore insigni interversa perfidia. Anno octuagesimo septimo seculi XII, Saladinus Christianorum res ingenti clade afflixit, occupata S. terra & in ea Hierosolyma. Restauravit eas Fridericus I. Imperator cum Philippo Franciæ & Richardo Angliæ Regibus. Institutæ verò sunt deinceps à diversis Imperatoribus, Regibus, Ducibus, diversæ expeditiones sub Crucis signo ad Orientis vindicationem, sed vano successu, tristibus cladibus, horrendo exitu.

Latet sordidata & pessundata in faucibus immanis tyranni Sancta Hierosolyma, universa Regio tot monumen-

mentis divinis illustris. Equidem nemo est tam crudelis, tam à pietatis & sanctitatis amore alienus, qui non optet, liberam esse à jugo & inquinamentis sanctam Hierosolymam... Quantus dolor est, cogitare, abominando Mahummedismo inquinitam esse Ægyptum, Syriam, Ciliciam, Phœniciam, Pamphiliam, Macedoniam, Thraciam, alias Orientis provincias, in quibus olim floruerunt Athanasii, Cyrilli, Nazianzeni, Basilii, Chrysostomi, Epiphanii, Theodoreti, innumera alia & fulgidissima Ecclesiæ lumina: Constantini, Theodosii, Martiani, Valentiniani, Gratiani, Arcadii, Honorii, & fortissima alia plura Christiani Imperii columina. Quantus dolor est, cogitare, abominando Muhammedismo fœdatam conspurcatamq; esse Africam, latissimam Orbis terrarum partim, quæ olim habuit Cyprianos, Tertullianos, Minutios Felices, Ar-

nobios, Augustinos, Dionysios, Paulinos & alios celsæ sanctitatis Viros. Securitas hîc fuit, tarditas fuit, oscitantia fuit, quæ passa est scindi in varias hæreses orbem Christianum, passa est veterno quodam immergi Principes summos publicæ rei, ut hostis noster nasci, crescere, intumescere, efferveſcere contra nos posset. Quid enim? Ubi fuerunt in principio illa agmina, illæ turmæ, illi exercitus, quibus occupari potuissent nobilissimæ Christianorum regiones, si trium aut quatuor regnorum excitata fuisset potentia. Nonne ex angulo orbis progressi, quibus Muhammedismus defensus & propagatus fuit, qui facile ad priores angustias cogi potuissent, si & nos unum Christianismi angulum illi angulo opposuissemus? Si sexcenta aut septingenta millia crucesignatorum semel atq; iterum in uno seculo potuerunt colligi, quibus Oriens obrueretur & tyranni à sanctis de-

ctis depellerētur regnis, cum jam tā-
ta decrementa passa est Christianorū
res, quantos exercitus, quam innu-
merabiles copias educere potuisse-
mus florente adhuc nostra republ.
Ecclesiisq; passim summo flore stabi-
litis? Quantas strages edere potuis-
semus Christiani, si illum succum, il-
los nervos, illas divitias florentis im-
perii solicitare, colligere, unire & san-
cta quadam connexione ad boni pu-
blici patrocinium obstringere volu-
issent, qui debuissent. Non tam im-
manes sumus rei Christianæ & tot
calamitatum spectatores, lectores,
auditores, ut per lacrymas, affectus
mœsti interpretes, dolor non aliquan-
do noster appareat. Placet nobis
Cornelii à Lapide, illius sectæ homi-
nis, quæ legem Corneliam de Sica-
riis spernere docet, inclamatio. *Proh*
pudor, proh scelus! Christiani in Chri-
stianos, ob terræ angulum, ob exile ho-
noris punctum internecinis odiis & præ-

liis inter se decertant, à Christianis effunditur sanguis Christianus, Christi sanguine redemtus, madent manus Christianæ Christianorum sanguine, & carnem Christianam carni Christi consanguineam conscindunt, mactant, discerpunt. Ubi fides? ubi spes? ubi charitas? ubi philadelphia & fraternitatis amor? Christiani uno Christi patre, una Ecclesia matre regenerati & alti, una fide, una spe, una charitate consociati, unius Dei, unius religionis vinculo & sacramento constricti, sese quasi lupi spoliant, laniant, excarnificant. Hæc videt & in sinu videt Turca, ac quasi tigris hinnulus de glebâ graminis inter se arietantes occupat, rapit & devorat. Nimirum Christianorum dufidia perdiderunt & Turcis prodiderunt Asiam, Græciam, Hungariâ aliaq; opulentissima regna. Est ita Corneli! & Pontifex tuus, quem tu unicum Caput & principem Christianæ religionis veneraris, adoras, tueris, cui cœcæ obœdientiæ nexu Te ob-

strin-

strinxisti, pars magna illorum fuit, qui vel ipsi odia exercuerunt horrenda atq; immania, vel aliis ad ea serenda, ferro ac armis prodenda, sanguine innocenti obsignanda autores suasoresq; fuerunt. Proh Deum immortalem, quantas ille turbas fecit, quam cœli & terræ mixturam ille severo vultu sæpe minatus est, si quādo non eo loco collocatus fuit audax primatus affectator & mussitator, quem sibi ex erosis adulterinæ antiquitatis tabulis vendicavit? si quando non eo tempore compellatus, quo ipse suprematui suo omnia constare integra atq; intemerata arbitratus est. Quot concilia atq; comitia ad rem Christianam salubriter instituta dissipavit vétosus ille vertex, quia timuit ne de majestate & eminentia sua aliquid sanctis suffragiis decerperetur? Et tu ille Crucesignatorum exercitus in Orientem excitavit, eduxit, exegit? O fraudulentum & tortuosum ser-

pentem! Ita enim janitor est regni cœlorum, sicut draco aurei velleris custos. Quis neget, illum innumerabiles cruces excudisse, easq; in Christianorum agmina exoneravisse!

Videte, Auditores splendidissimi, catalogum fraudulentiæ ex exercitu nequitiæ, quam crucesignatorum expeditionibus orbi Christiano obtrusit Pontifex Romanus. Et quidem primus omnium Urbanus II. veternum excussit Christianis & classicum cecinit, ut ad Orientem liberandum concurreretur. Sed ut orientem sibi Monarchiam stabiliret, & per absentiam fortissimorum libertatis vindicum servitutem sanctæ Ecclesiæ imponeret. Proh quantum impositum est orbi Christiano! Orientem à Turcico Sarracenicoq; jugo liberaturi exeunt magnis exercitibus, & antichristianismi interea domi semina sparguntur, robora colliguntur, vincula parantur, firmamenta struuntur.

Nimi-

Nimirum non potuit Christus in occidente convelli, nisi sub ejus imagine ad Orientis liberationem concurreretur! Illa Monachorum agmina per orbem Christianum fusa & extrusa nonne sunt tyrannidis Pontificiæ instrumenta & tenebrarum spargendarum subsidia? Animadvertitis cuniculos! Excitatus fuit Pontificiis literis Imperator, Rex, Princeps, ut crucem assumat, terram sanctam, Hierosolymam, sepulchrum Domini liberet! & ille ob causas domi notas non statim arcas aperuit, ærarium dissipavit, armamentarium exhausit, subditos conscripsit, signa extulit, illicò è monachorum ronchis, fulmen ex Italia imminere, colligere promptum fuit. Ille reprehensus, quod rempubl. Christianam incurioso spectet oculo, quod calamitatum publicarū contemtor & suo neglectu auctor sit, quod terræ sanctæ, & tot religionis Christianæ monumentorum curam

nullam

Vide Morneü in Mysterio iniquitatis p. 799. 804. 627. 875. 877. 887. 893. 897. 963.

nullam habeat; nec tantum reprehensus, sed & fulmine percussus, & tanquam filius Ecclesiæ degener è gremio matris ejectus, & quia Imperium, Regnum, Principatum in gremio Ecclesiæ habet, illinc quoq; dejectus fuit. Et plausibilis erat apud vulgus ista tyrannis, quod jam illo meretriciæ suavitatis poculo ita inebriatum fuit, ut nil nisi terram sanctã cogitaret, loqueretur, caneret. Unde ingenti terrore ita obstrinxit sibi per emissarios suos ille monarchiæ quæsitor, ut ad nutum exonerare in Orientem potuerit, quoscunq; consiliis eminentiæ repagulum structuros dominabatur. Quoties quæso sub religioso sipario Crucem obtulit Regibus & Imperatoribus, qua armante ãn Orientem proficiscerentur, quibus ille postea domi hostes excitavit, bellum molitus est, imperium minuit. Sed & ipsum Orientem non ideo, quantumcunq; simulaverit, tantope-

re li-

te libertatum voluit, quia ibi Christi vestigia, incunabula, mysteria, monumenta, sepulchrum, quia ibi videri quasi Christianorum religio potest, quam in Occidente credimus: sed quia ille ad universalem suum dominatum istas etiã orbis partes censuit: quia existimavit, nimis angustas fore Occidentis partes, nimis debiles, quã ut molem tanti capitis tolerare posset: proinde in Orientem etiam trãsferendum principatum, ut & ibi esset Christi vicarius, ubi Christus vicit. Notum est ex vetustatis documentis, quantum ille legationibus & minis urserit, ut Hierosolymitanus, Alexandrinus, Antiochenus, Constantinopolitanus Patriarchæ, suam, quam in Ecclesia habebant, autoritatem à Pontificis manu acceptam agnoscerent, tanquã in quo esset fons sacerdotii, velut unico in capite. Quod legationibus non potuit, legionibus aggreditur, sed blando sche-

mate:

mate vestitis. Quid enim aliud quam servitutem struxisset Orienti, & cum primis Constantinopolitano Patriarchiæ, quem plerumq; machinationibus suis adversarium noverat, si bene succedissent expeditiones & occidentalium manu Sarracenorum dominatus ex Oriente summotus fuisset? Sed & illud observatu necessarium est, Pontificem Romanum in immensum auxisse divitias suas, dum expeditiones in Orientem sub extremæ necessitatis habitu persuadet, dum ad votum nuncupandum variis artibus pellicit, dum Cruce signat. Sanè plurimi præcipiti consilio ad votum prolapsi sunt, quibꝰ postmodum innumera impedimenta viam præcluserunt ad iter. Hi voti compedibus impacti hærebant. Non pastorum, non Monachorum, non Prælatorum, non Episcoporum manu ex illis liberari poterant. Reservabat sibi illud jus summus Pontifex & artifex moli-

molitionum, novo documento principatq; & redemtionem voti per certam pecuniæ summam excogitabat. Pecunia illa in usum belli sacri retinebatur; quis neget? sed illius, quo Christus & sacra omnia summopere debellata sunt. Sed & ipsa crucis usurpatio ad hãc expeditionem quantum fraudis, quantum fallaciæ habet? Quo monumento divino, quo sacrarum revelationum certissimo documento, quo sancti Spiritus consilio docebitur, hoc esse Christianæ militiæ singulare præsidium, hoc esse divinæ societatis infallibile firmamentum, hoc esse sanctorum angelorum ad iter & prælia armandorum indubitatum classicum, si crucis signo in pileo, aut palla, aut armis quis sese muniverit? Quoties Christianorum agmina, sanctiora atq; puriora, contra hostes Reipubl. excurrerunt, quæ illo præsidio sese non sunt tutata? Fuerunt ne Urbani II. antecessores

adeo

adeò væcordes, inurbani & rerum ad robur civitatis sanctæ pertinentium ignari, ut hoc insigni jubare irradiandam esse militiam Christianam ignoraverint, & non animadverterint, quantum sit vallum exercitui Christiano præstructum, si crux singulos commendaverit? Atqui Pontifices, quibus nova hæc succrevit sapientia, magnam crucis coloratæ necessitatem repererunt. Eãq; modo rubram candidatis Orientalis militiæ affixerunt, qui adversus divina oracula, quæ infaustis conculcant pedibus erubescere dedidicerunt; modo albã, quibus candor in sacris Christianis tractandis nullus est: modo alterius coloris, ut variis pigmentis frontem perfrictam & meretriciã colorarent. Quanta vero confusio in orbe Christiano nata est ex illis crucesignatorum expeditionibus? Si cui volupe erat, uxoris sese subducere imperio & libidinibus fibulam laxare vagis, expe-

expeditio cruciata libertatis campus fuit. Si cui fastuosæ & refractariæ sub dominio maritali morari grave fuit. Pontifex ostendebat expeditionem cruciatam, solvendorum matrimoniorum tale remedium, quo innocenti marito fingi nequit durius. Si filio parentis ferre imperia aeqi monita durius videbatur, expeditio cruciata patrio imperio finem imposuit. Si perduellionis seditiosæ, furti, latrocinii aut cujusvis alterius sceleris macula se quis fœdasset, veniam & impunitatem expeditio cruciata pollicebatur. Si quis tabulas suas mala fide ære alieno obstrinxisset, & solvendo non esset, expeditio cruciata nomen expunxit, debitis lituram induxit, fidem restituit. Et hæc dicebatur impudenti ore, Christi imitatio, sui abnegatio, mortificatio carnis, spiritus libertas, paradisi vestigatio, martyrii affectatio, Crucis dominicæ assumtio! Tantis ne sceleribus tanta nomina præ-

na præscribi fas fuit? O bellum sacrum, ô expeditio impedita! O crux nefaria, quam tot scelerum architecti fixerũt orbi. Siccine peccatorum venia paratur? siccine cœlum aperitur? siccine angeli sancti ad animarum excedentium amplexus invitantur? siccine inferi dracones conticescunt? O crucem abominandã, quæ sanctissimæ CRUCIS tuæ meritum, Domine JESU, ita delevit, ita excinxit atq; expunxit, ut penitus aboleretur: quæ ita ad terram sanctam, ad sepulchrum tuum extrusit, ut à to ipso avocarentur. Rectè Petrus Blesensis: *Quidam signati sunt, sed non signatũ est super eos & in eis lumen vultus tui, Domine. Adhuc dico signati sunt, sed non ab eo, qui filium suum JESUM signavit & misit.* Fidem facit Bertoldus Constantiensis: *Plures*, ait, *Apostatas in suo comitatu habuerunt, qui abjecto habitu religionis, cum illis militare proposuerunt. Sed & innumera-*

biles

biles feminas secum habere non timuerũt, quæ naturalem habitum in virilem mutaverunt nefariè, cum quibus fornicati sunt. Fidem facit Guil. Tyrius. *Non*, inquit, *apud omnes erat in causa Dominus, & virtutum mater discretio votum excitabat, sed quidam ne amicos desererent, quidam ne desides haberentur, quidam sola levitatis causa, aut ut suos creditores, quibus multorum debitorum pondere erant obligati, declinantes eluderent, aliis sese adjungebant.*

Talis fuit, Auditores, expeditionum cruciatarum sanctitas, talis fraudulentia, talis inquinatio, tantus CRUCIS dominicæ in illis abusus. Unde postquam tenebræ occidentis Christianismi discussæ fuerunt patrũ nostrorum & avorũ memoria, postquam in occidente Orientis religio, sanctitas, mysteria inclaruerunt, postquam ex revelationibus divinis, non placitis humanis sapienter de sacris expeditionibus judicamus, ut alia te-

nebra-

nebrarum Pontificiarum opera, ita & expeditiones cruciatæ & incitamenta nefaria silent, obmutescunt, quiescunt: quâquam verè bellum sacrum & innumerabiles Cruces sanctis Dei subinde moverint.

Nobis aliter expedienda mens est, aliter expedienda studia nostra, ut sanctè Domino militemus. Colligendus sanè ex legis divinæ tabulis, ex divinis oraculis, ex ineffabilibus miraculis, ex benignitatis divinę innumeris monumentis ante omnia exercitus, & admovendus cordibus nostris, fulmina minarum divinarum sunt contra ea arietanda & agitanda, ut expugnetur Satanas, qui sanctam civitatem, sanctum sepulchrum, sanctum templum Dei in nobis possidet. Frustra orbis colligitur ad Palæstinæ & Hierosolymæ recuperationem, nisi in terra sancta sit cœli prius incola, Hierosolymæ cœlestis colonus. Nisi cor tuum sit Dei civitas, templum, sepul-

sepulcrum, nisi in te monumenta, mysteria, miracula, vestigia sint Domini JESU, frustra extra te illa vindicatum ibis. Male Satanam alibi expellunt armis, qui illum pertinacib9 intra se fovent animis.

Nobis expugnatis, ducamus exercitum nostrum ad SS. Trinitatis, Domini JESU & sancti Spiritus possessionem. Frustra civitas Domini JESU quæritur, cum Dominus JESUS nondum habetur. JESUS occupandus est, JESUS capiendus, JESUS possidendus. Quis autem exercit9, quo capiamus & expugnemus tantum bonum? Tota vis, omne cœlestis militiæ robur, omnes machinæ, arietes, balistæ, tormenta, fulmina, omnia collecta sunt in fidem, qua DEum, qua JEsum, qua Spiritum sanctum, qua Crucem Salvatoriam, qua sepulchrum Domini, qua civitatem & terram sanctam, qua cœlum & paradysum obtinemus. In illam confluit

fluit ex verborum divinorum fontibus, quicquid in illis præclarum est. Fide signatur mentes nostræ, fide roborantur, fide muniuntur.

Ubi ita in Dn. JEsu omnes thesauros occupavimus, amplexi sumus, expediamq; porro amorem nostrum, & postquam summum bonum sanctissimis amplexibus possedimus, amavimus, hoc agamus sincera charitate, ut omnibus per nos bene sit, qui in summo bono sumus, qui sub Cruce dominica sumus, quæ non signat sancto suo signaculo, ut non perennem casti amoris relinquat aculeum. Expediamus spem, patientiam, mansuetudinem, temperantiam, castimoniam nostram, decora & ornamenta crucesignatorum Dei! Caveamus, ne in exercitu nostro sint signati, super quos Dominus JESUS lumen vultus sui non signavit: ne in exercitu nostro militent, qui proprio habitu non apparent, qui signum S. Crucis mentiuntur,

untur, & intus Crucis hostem conspurcatoremq; fovent. Hæc sunt sanctæ expeditionis nostræ impedimenta, hinc nata totuplicia decrementa Reip. Christianæ, quondam amplissimæ, florentissimæ, opulentissimæ. Expediamus studia nostra, quæ juxta ordinationem Dei sanctam meditamur atq; agitamus, Deo, censori, imperatori, muneratori summo. Si nosmet composuerimo, si exercitum recte in suo quisq; ordine instruxerimꝰ, ut quotquot veræ Ecclesiæ adscriptitii sumus, ad terram etiam sanctam, civitatem sanctam, templumq; sanctum pertineamus, & Crucem sepulchrumq; dominicum in mentibꝰ nostris habeamꝰ, age esto militia nostra etiã adversus eos promta, fidelis, animosa, sancta, qui terrã sanctã, templũ Dei, civitatem sanctã, crucé Domini, sepulchrum JEsu, & alia ornamenta, mysteria, monumenta & oracula nostræ religionis conculcant, qui fœdera, pacta, juramenta ruperunt, ejurã-

runt, abjecerunt, qui postquam alibi solitudinem, captivitatem, tenebras fecerunt, in nos grassari summo furore contendunt. Nondum ultra mare navigandū est. Erit & illa gloria Christianorū, si Deo ita videbitur, ut terrenam habitationem Dni JEsu vindicent. In vicinia, in sinu nostro sunt, quibus bellum sanctum inferendum. Præivit immortali gloria, perennibq; crucesignatę & sanctæ mentis monumentis, documento heroico, Orbis decus, Ecclesiæ fulgor, belli fulmen, cœli sydus, Suecorum quondam & Germanorum Atlas, Nestor, Hector seu ut sanctè loquar, Moses, Josua, Gideon, David & quicquid Heroum unquam & uspiam fuit, GUSTAVUS ADOLFUS. Nomen sanctum, Nomen immaculatū, nomen nobis pretiosissimū. Nomen semper nominandum, semper honorādū. Pergam⁹, pergam⁹! Ecce purpuratū & designatū tāti Regis sanguine ad hanc militiam iter!

AD
DISSERTATIONEM
QUARTAM
PROGRAMMA:
DECANUS COLLEGII THEOLOGICI IN ALMA ARGENTORATENSIUM UNIVERSITATE,
JOHANNES CONRADUS DANNHAWER, SS. THEOL. DOCTOR, PROFESSOR ORDINARIUS ET ECCLESIASTES,

Beatam à CHRISTO *mortuo vitam, à sepulto quietem,* Χειροθεσίας *alumnis precatur.*

FUNUS indicim⁹, quo secula nulla videre gloriosius, nulla è spei solatiis suavi⁹, ac quod in funeribus paradoxon, lætiꝰ. Funus nõ Jacobi Patriarchæ, qui precioso ἐνταφιασμῷ prius delibutus, septendiali post luctu eoq; גדל וכבד מאד magno ac gravi valde honora-

tus, loco parentationi destinato nomẽ fecit אבל מצרים Abel mizraim : non Samuelis, non Abneri, non Saulis ac Jonathæ, non Hiskiæ ; non Monicæ ab Augustino filio : Fratris Satyri ab Ambrosio : fratris Cæsarii & sororis Gorgoniæ à Gregorio Nazianzeno : Julittæ, Barlaami, Gordii, Mamantis & XL. Martyrum, à Basilio : & Basilii à Fratre Nysseno celebratum : sed Funus in ipsâ ἀυπλώῳ καὶ ἀφλώῳ Trinitate, funus pullo mundi amictu, solis deliquio, petrarum fragoribus, terræ tremoribus, totius quasi naturæ congemiscentis clamoribus deploratum, FUNUS DEI Immortalis: funus hominis nullâ mortis necessitate, nisi quam charitas fecisset, obstricti: funus propheticum, sacerdotale, regium, uno verbo Funus CHRISTI, omnibus quidem vitæ hujus bonis, non tamen supremi diei celebritate spoliati ; pridem infami occisione, nunc gloriosâ tumulatione mactati. Fuerunt veterum in sepeliendis suis mores plerique seu immanes ac barbari, seu impii ac sacrilegi, seu superstitiosi ac nefarii : *Imma-*

nes illi ac *barbari*, qui justis planè destituére defunctos ac ut fors dedit, abjecére

Silius Ital. XIII. Punicor.

Tellure, ut perhibent, is mos antiquus, Iberâ
Exanima obscœnus consumit corpora vultur.
At gente in Scythicâ suffixa cadavera truncis
Lenta dies sepelit, putri liquentia tabo.

Impii & sacrilegi, qui majores suos in lares, penates, numina mutatos, insanâ ἀπαθεώσει radiis ornarunt ac astris; cineres adorarunt, ac σπένδειν conviviis adhibuerunt,

(dicam denuo cum Sil. Ital.)

------ *Ægyptia tellus,*
claudit odorato posti sunus stantia saxo
corpora, & à mensis exanguem haut separat umbram.

Eadem corpora ab iisdem Ægyptiis non raro in pignus tradita fuisse memorant alii, quæ, parentum si essent, qui non redemisset, perpetuâ infamiæ notâ inustum. *Superstitiosi ac nefarii* illi, qui miraculis (ut credebantur) sanctorum locorum invitati, singulares iisdē gratias alligatas, difficilimis ac sumtuosissimis peregrinationib⁹ quæsiverunt. Christi

sepulchrum in Sepulti contumeliam eadem violavit impietas, quod quia miraculorum, indulgentiarum, gratiarum de se famam incredibilem quaqua versum sparsit (*Si nobis ipsis*, ait Jesuita Guilielm. Bailius in catech. controv. q. LVI. *non credimus, saltem Diabolo ejusq; angelis*, egregiis scilicet auctoribus, qui omnem præstent evictionem! *credamus, qui quoties coràm sepulchro Christi ex corporibus antea sibi subjectis ejiciuntur, tremunt, mugiunt, rugiunt, non secus ac si coràm tribunali Jesu Christi consisterent*) dici non potest quantam hominum stragem, ac fortunarum jacturam seculis superioribus ediderit, notæ expeditiones cruciatæ à fatuo revelationum igne cujusdam Petri Eremitæ inflammatæ, ultum iturae contumelias à Mahumetanis illatas, ipso eventu votorum insaniam refellente, cum pro tumulo Christi quæsito, suum in Oriente tumulum invenére. Damnata quidem hæc mentis deliquia fuere prius quã nata, à veteris Ecclesiæ Luminibus & gloriæ Christi sepulti assertoribus acerrimis, quorum omnium Una vox fuit ex Osc. IV. 15. *Ne descen-*

descendatis in Bethaven. Nihil à te extra te quæ-re, non enim dixit Dominus, vade in Orientem; & quære justitiam: naviga usq; ad Occidentem, ut accipias indulgentiam. Augustini est moni-tum serm. III. de Martyr. *Non oportet, ô ho-mo, maria transfretare, non penetrare nubes, non transalpinare necesse est, Non grandis tibi ostenditur via, usq; adsemet ipsum occurre Deo tuo.* Bernhardi est aureola serm. I. de Advent. *Non Hierosolymis fuisse, sed Hierosolymis bene vixisse laudandum est. Et de Hierosolymis & de Britanniâ æqualiter patet aula cœlestis. Regnum enim Dei intra vos est.* Hieronymi, magni alias peregrinationum sanctarum admirato-toris, verba sunt. Nec in horum auctorum censu insuper habenda *Gregorii*, ab Episco-pali sede Nyssâ Cappadociæ Urbe, *Nysseni* appellati *epistola, de iis qui adeunt Hierosolyma* (quam contra hæsitabundũ *Bellarmini* obe-lum l. III. de cult. Sanct. c. 8. post *Baronium* tom. IV. ad ann. 386. §. 9. Gregorio, ex scri-bendi charactere, σωηθείᾳ scribentis, Aloi-sii Lippomani & Græci codicis manuscripti bibliothecæ regiæ suffragiis vindicat *Petrus*

Molinæus in editione anni 606.) cujus hæ sunt quasi gemmæ. *Quâ autem in re superior erit, qui ad ea loca venerit? quasi verò usq; ad hæc tempora Dominus illis in locis corpore versetur, à nobis verò recedat? aut quasi abundaret Hierosolymis Sp. S. ad nos verò transire non posset? ibi nos & antequam eo loci veniissemus, & porrò Christum esse Deum verum confessi sumus, nec imminuta nostra fides, nec ex eo aucta.* mox. *Loci mutatione ad Deum non accedimus: sed ubicunq; locorum fueris, ad te veniet Dominus, si modo ipse inveniatur animæ tuæ diversorium, ut possit in te habitare Dominus & inambulare.* Hæc illa lumina, quibus sequioribus seculis offecére sepulchri Dominici aves diræ ac funestæ, bubones ferales, striges nocturnæ, spinturnices pyrales verius (his nempe titulis boni auctores sepulchrorum sacrilegos notant) quàm cultores. Nos quos meliori radio illuminavit Christus sepultus, quos verbi sui plusquam magnetico raptu quotidie trahit, à tumulo ad tumuli decus Christum conversi, cum Josepho in amplexus cruentati ruamus, sindone verbi oblatum, myrrhâ pœnitentiæ

tentiæ conditum, renovato per ſpiritũ cordis noſtri monimento, per firmitatem propoſiti è petrâ exciſo recondamus, advolvamus ſaxum, ne præter amorem Domini penetret amor ſeculi, eidem conſepeliamur. Quod verbum cum ſcribo, incidit in hiſtoriâ novi orbis, quod antehac me legere memini. *Peruanos ſcilicet de alterâ vitâ ſollicitos, mancipia in exequiis ſuorum mactare ſolitos, quæ ibi è miniſterio eſſent.* Ita *Acoſta* l. V. 7. & cap. 8. *apud Mexicanos, in exequiis magnatum, morti coactos, qui viventibus inſerviendo præſtò ſuiſſent: eodem etiam fine unâ cum defunctis theſauros auri, argenti & gemmarum conſepult a. Epuremeos* (auctor eſt Gualtherus Rhaleg.) *indigenas auriferæ provinciæ Guianæ, uxores quas habuerunt cariſſimas, uti theſauros quoquè ſuos ſepeliendos ſecũ curare. Incolas regni Africani Guineæ* (teſtatur ejus deſcriptio cap. XLIV.) *ſingulos nobiles, qui in aula regi miniſtrarunt, ei defuncto mancipium aliquod largiri, cujus miniſterio in altero mundo utatur: alios è mulieribus ſuis unam, alios è filiis unum offerre, atque hos inopinatò & nihil tale cogitantes*

dare, ne animadvertant sibi cum Rege in alterum mundum proficiscendum esse: omnes verò cum Rege contumulari, ut unà iter faciant. Barbara quidem ac stulta consuetudo: sed sanctiori spiritu defecata in Christianismi nostri usum cõferenda, qui ζωοπαύρεων & ζωοφθορεμὸν à nobis exigit Rom. VI. 4. & 6. Intestinus noster hostis ac vetus homo, mancipium novi hominis de jure est, crucifigendus igitur cum Christo Domino nostro, contumulandus cum eodem, ut novi homines cum Christo resurgamus. Aurum, argentum, gemmæ & quicquid hoc in mundo carnem inescat, & remigium cordis ἐις τὰ ἄνω ascensuri sufflaminat, consepelienda cum Rege nostro, si sperare aliquid supra fatum volumus. Quæ omnia, & longè plura, longè doctiora ex anniversario nostræ Academiæ more, crastinâ die horâ VIII. traditurus est, *Vir admodum Reverendus, Excellentissimus & Præclarissimus*, DN. JOHANNES GEORGIUS DORSCHÆUS, *SS. Theologiæ Doctor, Professor, & summi Templi Ecclesiastes*,

astes, Fautor, Affinis, Collega, & in Christo Frater honoratissimus, dicturus *de verâ Sepulchri Dominici visitatione*, atque sic Domino ac Servatori nostro Christo justa facturus. Cui parentationi piæ, devotæ, salutiferæ, ut aures, corda, mentes præbere dignemini attentas, calidas, ad cœlum sublatas, nostrum est & votum & monitum. Afferte conditoria nova, è petroso solo excavata, sanguine Christi purgata, ut dignetur in vobis recumbere animæ Sponsus, cœli Delicium, generis nostri Unicum Decus, JESUS sepultus, Amen. Valete. Perscriptum ARGENTORATI, XIV. Martii, Anno Χριστογονίας M.DC.XXXVIII.

DISSERTATIO IV.

De peregrinatione ad sepulchrum Dominicum verâ, & rejiciendis peregrinationibus vanis atq; inutilibus.

QVod interum hac universitate infimũ videtur & infra omnia otiosa quadam

mole subsidere, illud grande nobis atq; inexplicabile documentum immensæ Majestatis in omnium Conditore Deo exhibet. Videmus infra omnia jacere terrarum molem, conculcari pedibus, inquinari sordibus, è sordibus fere totam constare, totam sordidari iniquitatibus. Videmq; eam nunc ardoribus fatigari, nunc constringi frigoribus, nunc inundari fluctibus, nunc pulveribus conspergi. Videmus eam in occultissimis tentari penetralibus, in aperta proscindi superficie: hiare voraginib', sorberi æstibus, conteri torrentibus. Bile, livore, veneno, toxico conspui: horribilibus atq; immanibus habitari animantibus: onerari ab iis, qui vel maximè à terrarum putredine atq; uligine abhorrere & sua cogitare deberent principia. Experimur eam nunc horrendis resonare mugitibus, nunc motibus concuti atque tremoribus tremendis, nunc flammas

mas eructare; nec tamen sua onera, suas sordes, sua inquinamenta à se depellere. In hanc grandines, imbres, fulmina, fulgura, nives & quicquid adeò tempestatum atq; injuriarum cœli est, ejiciuntur omnia. Si quid tenerum, floridum, amœnum peperit, quod & fœcunditate sua fructum pollicetur, & pulchritudine ornatuq; nativo oculos pascit, amittit id sæpe subitò, ubi aer aut in imbribus modum, aut in ventis terminum prætergreditur: aut calorem omittit temperare æstiis, aut frigus stricturis benignioribus moderari. Nihil ei immortale prætet mortalitatem: nihil ei constans prætet inconstantiã. Sanè orbis hic quædã quasi cloaca est, in quam feculenta omnia, lutulenta omnia, turbulenta omnia confluunt. Placuit tn, sapientiæ summæ & infinitæ hic quoq; suarum divitiarum & delitiarum extare monumentum. Si à nostris ineptiis consilium postulas-

set, qui supra omne consilium lucet Deus, nos qui videri volumus, quod summa omnia, sublimia omnia, æterna omnia cogitemus, illud forsan judicaturi fuissemus; non decuisse Majestatem æternam caduca & mox peritura condere, ne roboris imminuti in tantis mutationibus aliqua nasceretur suspicio: non decuisse sapientiam summam vel bruta condere, vel eas creaturas edere, quę suæ originis nō intelligerēt dignitatē, ne sapientię deficientis in tāta rerum caligine alicubi insultaret calumnia: nō decuisse immensum Dominum inserendis cimicibus, culicibus, pulicibus, pediculis & animalculis protrudendis aliis ludere, ne in angustias quaspiam coacta videretur divinitas: non decuisse summam puritatem & simplicitatem illas sordes, illas quisquilias, istas putredines & uligines in pulcherrimi orbis collocare centrum. Indignum videri tantæ luci, inter caligines

ligines versari; tantæ sancticati, inter inquinamenta opetari; tantæ pulchritudini, inter dedecora splendere. Debuisse potius maximum illum interminabilemq; Deum in sideribus latius explicare suam Majestatem: aut excellentius quiddã in homine moliri, quod tot molitiunculariũ in pusillis & abjectissimis extruendis corpusculis studium compensaret, & magna quadẽ evidentia de suo principio testaretur: aut in spiritibus à concretione moleq; materiæ liberis eximium quippiam & ineffabile prodere, addere thronis gloriam, Cherubinis splendorem augere, Seraphinis locupletare sanctas illas & felices flammas, quibus omnia superant, Potestatibus, Dominationibus atq; Virtutibus robur ampliare. Sic potuisse interesse rebus conditis Deum conditorem purius, sanctius, clarius: sic ubiq; magis splendidam futuram fuisse æternam illam vim, quæ in abjectis

ctis vix conſpiciatur. Ita in conſilio ineptiarum humanarum dicturi fuiſſent, qui cœlum ſomniant & terræ invigilant. Atqui Optimus maximus Deus & minima abjectaq; & ſordida ac feculēta, & humum limumq; amat. Limus lutumq; ſublimis impollutiq; Dei opus eſt, monumentum eſt. Limus lutumq; theatrum eſt, inquo æternitas ſua conſilia explicat, ſapientia ſumma ſuam varietatem, ſuos ordines, ſua decora exponit; potentia immenſa ſuum rōbur, ſuas copias, ſuos manifeſtat lacertos, in quo opulentia incomprehenſibilis theſauros nullo pretiō æſtimandos, omni pretio ſuperiores demonſtrat. Quicquid in ſideribus & omnibus cœlorum compagibus ſimplicitate admirandum, maximū venuſtate, virtute validum; id in limo atq; luto per innumerabiles diverſiſſimorum operum copias admirandæ magnitudinis virtutem do-

cet;

cet, Etiam in caducis atq; pereuntibus æternitatis imago est, quæ suum Conditorem refert: etiam abjecta atq; imbellia potentiæ supremæ charactere, quem impressit iis architectus orbis, habent. Etiã quæ sapientiã illã æternam & infinitam non intelligunt, indicant tamen & opere ostendunt, quę mentem non habent, quod à summa mente suam ducant originem. In minutissimorum corpusculorum fabrica augustum quippiam est & divinum, quod cum exilitate sua oculorum nostrorum aciem effugit, artificium autoris testatur, quod cum per adjumenta nobis innotescit, omninò præ maximis nobis admirabile comparet. Proximus limi ludiq; sordib9 puriſſimus sanctissimusq; Deus, tam non à limo contrahit inquinamentum, quam à siderum splendidissimis radiis non lumen capit: quin imò illud pulcherrimum candidissimumq; cœlorum

decus

decus ideo variis virtutibus fœcundavit, ut luteam istam limosamque colluviem temperet & exquisitissimo officio, vicibus irrequietis, administret. Hoc pacto orbem terrarum cum universis superioribus colligavit, ut, cum ipse superioribus tribuat nihil, ad se tn. superiora omnia pertinere sentiat. Sic cœlum cum universis agminibus ordinibusq; siderum ad terram fovendum vegetandumq; cogit vires suas; sic neq; maximus ipse mundi oculus cœlo aut sibi, sed terræ lucet. Ita placuit limo lutoq; sua majestate adesse ei, à cujus beneplacito omnia pendent. Gradum porrò quasi propius admovit luto supra cogitationum nostrarum terminos cuncta fingens atq; refingens figulus, dum è luto fabricare aggressus est tremendo consilio HOMINEM, cui imaginem suam maxima quadam ratione & expressione quasi succiplena indidit.

Sunt

Sunt sancti illi cœlites, throni immensi satellites, pulcherrimi splendoris imagines, magnum & adorandum numen referentes. Addidit tamen benefica divinitas è luto oriundis hominibus dominium in universa animalia, peculiare monumentum amoris suaviter omnia disponentis, quod angelicis mentibus ita datum non est; aut ut suum in lutum etiã robur collocaret, & doceret, ex eadem massa posse produci, qui dominarentur & æternæ majestatis ferrent imaginem, & qui terrorem conciperent ferrentq; servitutem: aut ut hominem istoc ipso dominii præcellentis autoramento à terrenarum rerum servilibus secluderet amplexibus & supra omnem orbis verticem assereret. Decus illud dominari in cætera potentibus creaturis insertum, nulli præterea luto, nulli limo obtigit, licet alia passim ornamenta atq; pretia adjecerit, passim suæ perfe-

ctionis

ctionis ſtatuens monumenta Deus. Lutum tamen Dominus factus eſt, ſummi Domini imago. Luto mens indita fuit, angelicis mentibus proxima, divinæ atq; æternæ mentis expreſſio. Luto ſupra orbem beatæ ſedes, poſt interuſurium habitaculi paradiſiaci, & exactę mundanę commorationis decurſum, conſecratæ fuerunt. Lutum iſtud throno Dei ſiſtendum, miſcendum felicitatis ſempiternę gaudiis, ad DEI opt. max. penitiſſimos perfectiſſimosq; complexus adſciſcendum fuit. Etiam poſtquam lutum illud, quod hominem eſſe juſſit Deus, imaginem Dei, quo probè pulcherrimèq; ſubactum fuit, perdidit, non deſiit benigniſſima Conditoris manus luto iſti, quod è tartaro fuit ſordidatum valdè, inhærere, & ut immorari poſſet ſanctius, perficere. Auditur in officina ſempiterni figuli reſtauratoria vox, auditur novæ figurationis ſanctio, audi-

untur

untur blandimenta solatiorum æternorum. Non iræ vastatricis flammis conspuitur lutum istud in noxias sordes confectum: sed rore semperfluæ gratiæ perfunditur. Tanquam luto isto carere non posset simplicissimus sanctissimusq; lucis inaccessæ habitator, voluit ex luto isto sibi templum, sibi munitionem contra inferorum portas valituram, sibi regiam omnibus ornamentis cœlestibus conspicuam fieri, in quam sacra omnia, omnia pretiosa, omnia congereret beata. Ex hoc luto cœlestem Hierusalem, illam Dei civitatem, Deo lucidam, Deo sanctam, Deo beatam, Deo munitam, condere decrevit. Hoc lutum ipse mollire, ipse moliri, ipse munire artib9 æternitatis secum constituit. Et ut hoc nullis non machinis perficeret, grande aliquid & nullis humani aut angelici ingenii viribus explicandum aggressus est. In summam & inenarrabilem cumulato hu-

ro humano unionem descendit. Lutum assumsit in intimos & secretissimos æternę perfectionis complexus. Lutum intra personæ suæ interminabilis beatissimum ambitum sistit, ut ibi subsistat, uniaturq; æternis opibus, æterno splendori, æterno felicissimoq; fastigio. Ipse nitidissimus, purissimus, sanctissimus filius DEI, qué ineffabili ratione ab æterno Deus Pater genuit, homo fit, lutũ fit. Quid n. aliud est, Verbum caro factum est, quã verbum illud æternum, simplex, è Patris æterni sinu non auditum, sed natum, non transiens, sed subsistens, verbum cui pro mora æternitas, pro compositione simplicitas, pro modo immensitas, pro sono potentia, pro literis est ipsa divina sapientia, verbum inquam illud, orbis & siderei & aerei & lutei autor, lutum est. Quid n. caro, quam lutum sanguine maceratum? aut quid homo, quam hemina una sanguinis luto crassioris? Itaq;

homo

homo lutum fuit Domino omnium. Lutum de terra, Dominus de cœlo, ut luem luti nostri eluere & desiderandæ imaginis splendorem redderet. Et cum posset Deus ille de Deo, filius opt. maximus Patris opt. max. illud lutum suum, quod sibi in sanctissimo matris suæ sinu fingi fecit ab æterno spiritu, supra omnium stellarum nitorē, supra angelorum gloriam collocare, in luteam tamen nostram miseriam, in fragilitatem planè deploratam pertingere illud voluit. Quicquid incommodorum, quicquid egestatum, quicquid aut calamitatum aut cladium in orbis terrarum lutum sese exonerat, tetigit sanè universorum Dominum, in lutea servâq; casa humanitatis assumtæ inter homines hospitantem. Lutum sterile paupertate premit incolas suos. Omnipotens Dominus & paupertatē toleravit, ut lutum nostrum exinde fœcundaretur, & ditesceret. In

luto

luto & cavernis terrarum feris habitacula & latibula dantur. Filius hominis, idemq; luti atq; Dei soboles, non habuit, ubi reclinaret caput suum. Quin imò in peregrinationibus, excubiis, pervigiliis, exiliis nonne quasi in luto sese inter varias difficultates volutavit? Quæramus Christum in ultima illa & decretoria nocte, ubi sese ad extremum composuit conflictum, in quo de rei humanæ summa non armis & lacertorum robore, sed animo, sed angoribus, horroribus, tremoribus, sanguineo sudore, infamis supplicii & demum mortis tolerantia decernendum fuit. Tremite mecum pia pectora, qui è luto caducitatis nostræ cœlum suspiratis, contremiscite penitus, quando in horto olivarûm in luto sese volutantē, ringentē, flebiliter inclamantē, sanguinei sudoris rore lutum perpluentem cernitis Dominum. Ibi velut in fornace ardente induratum, coctum, exiccatum

tum fuit lutum, quod pro eluendis nobis assum sit. Mox rursus torrentibo Belialicis perfusum, madefactum sulphureis ex abysso fluentis, inundatum vindicis ex alto iræ diluvio, quã immanibus subegerant ictibus laterarii sive ductores sive coctores, ut novis flammis objicerent, vel tandé in ferali crucis ligno omnibo tempestatibus exponerent. Deniqi tam Deo plenum lutum, tam precioss æterni Spiritus perunctum balsamis, tam omni plenitudine summæ felicitatis dives, cum satis esset tot instrumentis, tot machinis confectum, tanquam porro solvendum dissipandumqi penitus, condituræ terrarum destinatur, & saxo pro luto circumdatur, velut suæ reddendum glorie, & supra omnes orbis injurias immobili, plane perennitati restituendum. Mentibus luto circumdatis, sed quod Spiritus Dei sanctus ad æternam felicitatem charactere certissimo obsignavit.

gnavit, frequens est ad saxum illud, tanti luti hospitium atq; conditorium iter. Admiranda saxi hujus sunt innumera. Lutum saxo hîc est solidius, saxo perreni9, saxo contra omnes tempestates constantius. Lutum hîc est omnibus basilicis, columnis, marmoribus, pyramidibus celsius. Lutum in saxo est, quod Deum capit, quem cœli cœlorum capere non possunt. Lutum Deus est, quod in caverna saxi est. Angelorum gloria, angelorum miraculum, hominum salus, hominum gaudium in saxo est. Saxum hoc omni mole templi Hierosolymitani pretiosius est. Saxum hoc cœlos superat, Atlantem superat, Capitoli immobile saxum superat & Deam Pessinuntiam, quam gentilis confinxit superstitio. Mirandum mirandorum in hoc saxo est, Deus mortuus, vita mortua, perfectio mortua, summa felicitas mortua, funus est in Trinitate adorandâ. Istis saxi sepulchra-

lis

lis miraculis, suavissimo piarum cogitationum itinere, indulgent Pii hoc potissimum tempore, quod præ cæteris anni spatiis sacrum & solenne esse jussit Ecclesia, quæ, ordinis divini æmulatrix, partitis commentationibus tot tantorumq; mysteriorum proponere maluit ambitum, quàm confusis & malè conspirantibus errare meditationibus. Cæterum post exacta in terris à salvatore nostro omnia, quę inter mortales, mortalitatis nostræ particeps & medela, exigere debuit: post hortum Oliveti, synedrium Pontificum, tribunal Pilati, flagella & coronam spineam Carnificum, crucis infamem stipitem & sepulchrale antrum desertum: post in omnes, quaqua versum sol radios suos explicat, terminos orbis terrarum illata & propagata istæc mysteria, jam fidei sanctæ sollicitudo non anxiè quærit synedrium Pontificum, quod principium & finis fidei con-

demnavit, non tribunal Pilati vestigat, quod supremus judex subvertit; non in olivarum viridario sanguinei sudoris guttas legit, quæ in cordis penetralibus & inter tremendorum mysteriorum fructum totum vivifici sanguinis fontem, incorruptibilem atq; indivisum, possidet: non in spinis & flagellis pro lictoribus erubescentibq quærit suas delicias, quas puras & uberrimas in æternitatis thesauris habere potest: non in arido crucis ligno arborem vitæ rimatur, sed in sanctorum paradiso: nec in saxi lustrati recessibus augmentum religionis indagat, quod è vivo lapide sumit. Itaq; quas ad sepulchrum Dominicum sub religionis prætextu, & ad expiandos viarum hujus seculi errores Hierosolymam peregrinationes instituerunt, qui in Dominicis institutis acquiescere noluerũt, susq; deq; habet pia mens & rectius iter ad sepulchrum Dominicũ ostendit. Nos

cum

cum tempus postulet, ut de æternitatis beatæ impetratore JESU mentibus & linguis operemur, & sanctissimæ redemtionis nostræ monumenta expedita spiritus peregrinatione lustremus, circa sepulchri dominici vestigationem occupabimur, & remotis à fructuoso animarum nostrarum in cœlestibus profectu peregrinationibus transmarinis, & introgressibus restaurati sepulchri, veram & cum profectu futuram expeditionem mentis in sepulchrum Dominicum delineabimus. Ductum S. spiritus humilibus precibus ab eo contendimus, qui post lacrymas profusissimas & aera atq; æthera penetrabilem clamorem in sepulchro siluit, cum interim angeli stupefacti animæ admirandæ sereno obsequio in cœlis blandirentur & corporis admiranda miracula tremebundi loquerentur; ut tenui sermone adorandum sepulchri silentium & cœlestis thro-

ni conticescentes minas eloqui que am9. Vos, Auditores Splendidissimi, Ornatissimi, vobiscum reputate, non ad rostrum, sed ad sepulchrum Vos consedisse omnium stupendum maxime, ubi parum lingua, plurimum pietas potest, & consilium potius, quam suaviloquium à me expectate.

Meministis ex sacris monumentis, Servatorem generis nostri & redemtorem maximum, postquam diro suspensus robore summa libertate, qua eum velut omnium Dominus tenuit, Spiritum suum æternis commisit sedibus, & illi manui, in qua beatis animabus tranquillissima eadem atq; opulentissima datur habitatio, non relictum fuisse, ubi hæserat exanimi corpore. Raro gentilibus usurpatum fuit illud miserabile beneficium, quo tollere de furca aut cruce corpora licuit. Polycratis Samiorum tyranni meminit antiquitas: cujus vitæ fulgor abundantissimis bonis

conſpicuus exceſſit ad invidiam. Cujus omnes conatus placido excipiebatur itinere: ſpes certum cupitę rei fructum apprehendebant: vota nuncupabantur ſimul & ſolvebantur: velle ac poſſe in æquo poſitum erat: qui ſemel tantum vultum mutavit, perquam brevi triſtitiæ ſalebra concuſſum tunc, cum admodum gratum ſibi annulum de induſtria in profundum, ne omnis incommodi expers eſſet, abjecit: quem tamen continuò recuperavit capto piſce, qui eum devoraverat. Eum vero comprehenſum Orontes Darii Regis præfectus, in excelſiſſimo Micalenſis montis vertice cruci affixit; è qua putres ejus artus & tabido cruore manantia membra atq; illam lævam, cui Neptunus annulum piſcatoris manu reſtituerat, ſitu marcidam, Samos, amara ſervitute aliquàdiu preſſa, liberis ac lætis oculis adſpexit. Ad hunc barbarorũ morẽ reſpicit Theodorus

Valer. l. 6. c. 9

dorus Cyrenæus, quo tabo passi sunt defluere & à sole ac pluvia, seu, ut disertissimus ex Africa Tertullianus loquitur, à solis unguine & lavacro Jovis corrumpi suspensa cadavera: tyranno namq; sibi crucem minanti respondit, sua nihil interesse, humian sublimi putresceret. Miles crucibus

Petron. in sat.

asservandis insuper datus fuit, ne quis corpora ad sepulturam detraheret. Hinc Artemidorus in Oneirocritico, cum malum ominatur divitibus à somniata Cruce, ait, τὰ σῶματα σείεσθαι ἀπολλύουσιν οἱ σταυρωθέντες. Nimirum tempore & defluxu, aut etiã cum feris dilaniandi suspensi permittebantur. Secus cum eo corpore actum fuit, in quo omnibus corporibus vitam sempiternam meruit DEUS. Si Pilato placuisset, Romanarum legum ultimam sævitiam in corpus tantopere exosum decernere & in cruce relinquere feris aut voluctibus pabulum, forsitam morem

suum

suum Judæi non multum oppositu-
ri fuissent. Tollitur a cruce sepul-
chro inferendum, ab omni tabo de-
fluxuq; conservandum, nullis porro
injuriis violandum. Hucusq; indulsit
furoribus cœlestis sapientia. Christo
mortuo gloria Christi emersit; seda-
ta est tempestas furibunda, tumidi si-
luere venti; quievere turbulenti ma-
ris fluctus: opprobria accepere fi-
nem: salvum à solis unguine & plu-
via jovis corpus manet. Deposcit ad
sepulturam, quem vivum clandesti-
nę pietatis affectibus comprehende-
rat, Dominum suum, & aperto ho-
nore mortuum colit Josephus Ari-
matheensis. Quanti quæso pectoris
illud facinus! sanè πολμηρότατον.
Nam si Romanos mores spectemus,
nihil erat periculosius, quam damna-
tum ad honestam sepulturam depo-
scere. Præcipuè cruci affixum. In Conz.
Christo tollendo præsentius erat in
periculum. Nam tanquam reus ma- Mat.
jestatis p. 570.

jestatis damnatus erat: cui vel familiarè esse, capitale erat. Et nunquam à condito imperio tanta sævitie erat, quam Tiberiano tempore, quo in carnificinam prope aula degenerarat. Eò progressam crudelitatem, memorat sapientissimus Romanorum annalium Conditor, ut magno labore reperirentur, qui Magistratum gererent. Jacuit immensa strages: omnis sexus, omnis ætas, illustres, ignobiles, dispersi aut aggregati, neq; propinquis, neq; amicis adsistere, illacrymari, nec vivere quidem diutius dabatur: sed circumjecti custodes & in mœrorem cujuscunque intenti, corpora putrefacta adsectabantur, dum in Tiberim protraherentur: ubi fluitantia aut ripis appulsa, non cremare quispiam, non contingere. Interciderat sortis humanæ commercium vi metus: quantumq; sævitia gliscceret, miseratio arcebatur. Quis dubitat, illius in urbe terribilis

ribilis crudelitatis in provincias quoq; promanâsse usum, nec sine periculo licuisse foris, quod domi cum discrimine vitę audere licuit. Pervicit tamen in Josepho superior potestas, ut sancta audaciâ Pilatum aggrederetur & sepulturam vitæ exoraret: Hanc divinam audaciam spiritus sanctus illius pectori tribuerat, ut nullam orbis potestatem horreret, qui habitaculum omnis potestatis sepulchro asserturus erat. Obtinet egregius postulator μέγα λίαν ἄῖημα, obtinet sanctum & angelicis potestatibus tremendum corpus. Parat ad sepulturam socio periculorum & impensarum Nicodemo Pharisæorum Principe. Sepelit tandem. Et quidem in illud sepulchrum, quod suo corpori tandem recondendo fecerat, non jam amplius de suis exuviis sollicitus, modo dominico corpori justa faciset. Solebant sepulchra vivi plerunq; ipsimet sibi face-

re, partim ut haberent certum hospitium, ubi corpus requiesceret, cum primum mortualis hora advenisset: partim ut eo ipso nominis sui memoriam ab oblivione vindicarent. Hinc illa in antiquis inscriptionibus crebra verba: Vivus fecit. Vel vivus faciundum curavit: Vel vivus hoc sibi fecit monumentum. solebant hoc modo præsumere officii hæredum, & disponere etiam illa, quæ ultra vitam sunt, moles magnas sepulchrorum & operum publicationes publicorum: quia hæredes negligentius circa hanc rem versari videbantur. Quod si morte præventi sepulchrum absolvere non potuissent, hæredes perficere solebant. Hi tamen interdum benefactorum memoriæ ejusmodi struendis monumentis suos sumptus impendebant. Accedebat non raro testamenti monitum. Unde in vetustis lapidibus crebro hæc verba. Testamento fieri jussit. Hæredes faciun-

Senec. de brev. vit. circ. finr.

dum

dum curaverunt. Vel Hæredes ex testamento fecerunt. Non hæc de conditivo aut memoria Salvatoris nostri cura fuit, cùm in his terris fatigaret innoxium animum. Æternas ille mansiones, beatas memorias meditatus est. Josephus Arimatheensis divina manu in hunc apparatum & funebres hosce labores surrogatus est. In alieno sepulchro conditus est Dominus, judice sapientissimo Augustino, quia pro alienis delictis mortuus est: Ut quid illi propria sepultura, qui in se propriam mortem non habebat: ut quid & tumulus in terris, cujus sedes manebat in cœlis; Ut quid illi sepultura, qui tridui tantum temporis spatio, non tam in sepulchro mortuus jacuit, quam velut in lecto quievit? Aliena fuit Christi mors, aliena vulnera, aliena crux, nostra erant hæc omnia; sic & sepulchrum Domino vitæ fuit alienum. Habeant tumulum, qui sub lege sunt mortis,

l 3. de Virg. mortis, victor mortis suum tumulum non habebat. Hoc Salvatoris Catholici sepulchrum, quod etiam ideò alienum fuisse credi potest, ut non ad sepulchrum, sed ad Dominum converterentur mortales, quo in statu tribus post sepultum Dominum seculis fuerit, non liquet. Nec enim sacra historia divinis descripta tabulis sepulchri ultra meminit, & qui post divinas tabulas manus admoverunt rebus Ecclesiæ consignandis magno rem totam involvunt silentio. Sanctissimi nimirum mortales, postquam inter varias tempestates & lanienas, æternitatis sitibundum pectus perfudissent beato vivifici sanguinis rore, & animi sui recessus pro templo, pro ara, pro conditorio consecrassent Deo, jam non ad instrumenta passionis & mortis memoriam, sed ad utriusq; pretium respexerunt; quod in externis illis monumentis collocare nefas crediderunt,

derunt. Igitur tanta mentium vividarum contentione sepulto olim, nunc cœlorum Domino adhæserunt, ut facile paterentur aliena atq; peregrina omnia interire, qui cum Domino, nó cum istis, perennare sibi proposuerunt. Quarto demum seculo, uti Eusebius Cæsariensis Antistes memorat, sepulchrum Dominicum emersit è ruderibus. Refert namq; Constantinum M. mandasse, ut locus ille, ubi quondam sepulchrum infiniti fuit boni, qui superingesta humo per tot vastationes urbi quondam sanctissimæ ejusq; viciniæ illatas, omnibus pene vestigiis veteris situs deletis, absconditus fuit, egesta omni peregrina materie purgaretur. Fuisse igitur illico machinamenta admota lascivæ Veneris templo, quod gentilis superstitio ibi posuerat, diruta disturbataq; omnia; materiam omnem longissimè à loco suo avectam: altissimè etiam effos-

sum

sum solum atq; ejectum, quod nefarium monumentum inquinavit. Simulatq; vero solum, cerræ oppletum sordibus, egestum fuit, eminuisse ex abditis terræ sedibus aliud solum, sc. Locum sepulturæ, atq; adeò ipsum venerandum & sacrosanctum resurrectionis salutaris testimonium praeter expectationem apparuisse, & tunc antrum illud sanctum sanctorum, resurrectionis Salvatoris expressisse imaginem. Ista sane copiosè persequitur Eusebius & magno sermonis ampullosi lenocinio producit. Adstipulantur asseveranti reliquiarum adoratores fere omnes. Atq; hac ratione solennis illius ad terram sanctã peregrinationis initium fuit, ut loquitur Onufrius Panvinius ad Platinam. Possemus non una de causa fidem Eusebianæ relationis in dubium vocare, qui non semel, ubi à S. Patrum monumentis abit, fabulas infercit historiæ. Pontificiæ superstitionis

tionis admiratores & ipsi malæ fidei postulare eundem possent, quod, quam ipsi tradunt, miraculósam S. Crucis inventionem Helenæ matris Const. M. industria, silentio præterierit. Certè Card. Bellarminus serio non agit, cum dicit, Eusebium ideo prætermisisse eam crucis inventionem, quia fuit res notissima. Annon enim etiam notissima ad posteritatem transmittit historici industria? Annon etiam sepulchri Dominici inventio fuit res notissima? Qui de inventione scribunt crucis, ajunt, eodem loco, ubi terram egeri voluit Helena, visionibus divinis ad vestigationem abditæ crucis monita, nimirum in Calvariæ monte, ubi & sepulchrum ait inventum, stetisse delubrum Veneris, quod Helena diruerit. Helena igitur aut idem diruit Veneris delubrum, de quo Eusebius scribit, & sic eadem terrarum suffossione atq; egestione sepulchrum cum tribus cruci-

crucibus repertum est, ut valdè oblivioſum neceſſe ſit fuiſſe Euſebium, qui in illa monumentorum paſſionis concurrente ſplendidiſſima copiâ, crucem ſilentio preſſit, ſepulchrum memoria illuſtravit, aut quod de utriusq; tam crucis quam ſepulchri inventione promiſcue ſcribitur, non ſatis certum erit. Tacemus, quod in tanta verborum luxuria nó oſtenderit nobis, unde agnoverit, qui in viſcera terrarum ivit quæſiturus Dominicum ſepulchrum, illud eſſe ſolum, quod poſt tot terras exportatas, poſt tantum exhauſtum ſpatium apparuit, in quo Joſephus hortum habuit, in quo requietorium ſibi fieri fecit, in quo Dominus requierit? Non meminit Euſebius alicujus miraculi, ad quod aliàs in dubiis & penè deſperatis rebus in aſſerendis vetuſtatis monumentis ejusmodi interpolatores confugere ſolent, quo notatus eſſet divinitus velut cœleſti virgula memo-

memorabilis locus. Helena miraculo & divinis visionibus ad Cruces internoscendas deducta dicitur. Si tale quid circa sepulchrum contigit, ecur Eusebius divinum documentum sua non dignatur industria? Nec Constantinus invento sepulchro adfuit, quem unum solum Deo omniporenti charum & divino ejus afflatum spiritu ad id opus delectum tradit Eusebius. Nam, qui de inventa ab Helena cruce scribunt, præsentiam Constantini ignorant. Referunt potius, Helenam partem Crucis satis magnam & clavos Constantino misisse, e quibus frenum suum muniret. Nec ipsius lapidis excisi aut superimpositi mentionem facit Eusebio satis clarè, ut ex iis certitudo conditorii JESU colligi potuerit. Et si lapis unus alterve maximè præsto fuisset, unde quæso sine metu falsi innotescere potuisset, hunc lapidem aut illum sacrosanctum Domini corpus texisse?

Quis

Quis asseverare ausit, in eo loco, ubi ditissimus Josephus inter delicias horti sepulchrum habuit, nulli alii præterea vicino eundem fuisse apparatum. Quis & illud asseret, in qua potissimũ caverna benedictionis fos
J. Cassiod. lib. 6. 656 delituerit? Memorant antiquitatum Judaicarum periti, priscis Judæis fuisse in more, ut no sepelirentur singuli separatim à suis, sed tota familia in speluneâ una, cõditis singulis corporibꝰ in separatis foraminibꝰ. Propterea solitos fuisse singulos Patres familias, si proprium monumentũ sibi & suis non accepissent à parentibꝰ, pretio sibi locum parare in eum usum, fuisse hoc jus apud Judæos, ut si quis monumentum ab aliquo emere vellet, aut locare faciendum, venditor aut manceps operæ teneretur cavernam in petrâ excavare longam sex, latam quatuor cubitos, in qua octo erant cavanda foramina, alii volunt tredecim, ad singula corpora reponenda,

nenda. Addunt ante os speluncæ fuisse faciendum atrium. Ex octo illis aut rede tim foraminibus cavari solitis in quoq; monumento, locus erat, ubi positum est corpus Domini. Unde, si vel maxime idem illud Josephi fuxum reperissent terræ fossores, resciscere potuissent, in quo foramine corpus dominicum hospitium habuerit tridui? Sed mittamus ista: jurgiamur, verum Dominicum sepulchrum fuisse inventum sub Constantino. Id jam porrò quærimus, num religiosi cultus affectu corporis redemtorii conditorium sit frequentandum? Quem amor earum rerum videndarum, quas à patria sua abesse voluit Opt. Max. Deus, qui admirabili temperamento ita dispensavit sua bona, ut cum singulis orbis partibus sese benignum atq; uberem exhibuerit, singulis tamen in alieno etiam sese opulentum ostenderet & sapientem, idq; ad firmamentum amicissimi

cissimi consortii, quo generis humani constat felicitas; quem inquam amor ille vestigandi monumenta sapientiæ imperveſtigabilis extra natale solum deducit; qui quæ in historiarum monumentis intelligit, oculis etiam usurpare amat: si id vocationis, qua Deo obstrictus est, permittat ratio: si majus bonum, quod ad Dei gloriam calamitoso orbi comparare potest, non imminuatur: si se subducere possit iis rebus, quarum negligentia intervertere Reip. aut Ecclesiæ salutem queat: nisi obstent vincula sive privata sive publica alia, quæ exuere sine scandalo & periculo nequit: si per conscientiæ dictamen, bene examinatis omnibus sive circumstantibus sive consequentibus, appareat susceptæ laboris commodum omnibus incommodis esse superius, meliorem & doctiorem exinde reddi animum, qui ita obfirmatus sit

Cicero ad Cæsium famil. lib. 2. Omnis peregrinatio obscura & sordida est, quorum industria in patria potest esse illustris.

tus sic

tus sit & roboratus, ut variis sive obstaculis, sive diverticulis, sive periculis à solido & penitissimo dei virtutis q; complexu dimoveri nequeat : qui hoc virtutis & eruditionis comparandæ atq; augendæ desiderio, peregrinationis admovet animum laboribus, & exire e Patria secum decrevit, is sine ulla culpa erit, si præ Galliis, aut Italiâ, aut Hispaniis, aut Africa, aut America, aut Indiis elegerit eorum locorum lustrationem, in quibus ea miracula facta sunt, ea mysteria orta, quę fidei nostræ oraculis celebrantur. Poterit etiam in illis solitudinibus atq; vastitatibus, quibus sanctissimorum hominum habitacula obvolvuntur, inter barbarorum & immanissimorum hominum caliginosos errores, qui nunc ibi hospitant, unde quondam lux orbem complevit, & suæ patriæ felicitatem discere, & haurire necessariam servando divino depositio prudentiam,

& val-

& valde animo imprimere suo tristissimorum casuum experimenta, quibus non fortunæ quodam orbe & fatis ita cogentibus & ipsa quadam humanorum ingeniorum vertigine, & regnorum quodam ad internecionem deducêre senio in has tenebras, hanc barbariem, hanc tyrannidem conciderunt illæ regiones, tam olim sanctæ & cœlestibus monumentis conspicuæ; sed contemtu earum rerum, eorum beneficiorum, quibus stare potuissent contra quemvis impetum & perenni felicitate durare. Ita sepulchri etiam sacrosancti, si quis daretur, conspectus, inter Domini JESU contemtores nunc datus, ad animum spectatori revocabit præter illa miracula & mysteria, quibus olim locus ille inclaruit, quam tetro exilio apud eos homines Dominum JESUM damnatum fuisse oportuerit, à quibus relicta etiam patria sua ille tanta cum indignatione

receſſerit. Suadebit etiam, ne monumenta quidem ſive incunabulorum & natalium, ſive ſepulturæ ſanctæ tueri poſſe eum, qui ipſum Servatorem non nitido infucatoq; colit affectu Docebit ad hæc, intra corda habendum Dominum JESUM, alias ne in Patria quidem eundem ſua noſtrum fore. Inſuper indicabit, ſi ſimiles futuri ſimus iis, qui tantopere ſusq; deq; habuerunt Dominū quondam, ut non exhorreſcerent etiam ad internecionem dare, quales futuri ſumus. ſi ſacra Domini & univerſum religionis admirandæ complexum ſevera pietate non coluerimꝰ, ſepulta apud nos brevi fore omnia, quæ apud crucem ſepulchrumq; Domini quondam nobis orta ſunt ſalutaria. Si ultra proceſſerit peregrinationis ad ſepulchrum Dominicum aſperitas, & ſibi perſuadere auſa fuerit, peculiari cultu religioſo affici Salvatorem, ſi ad ſepulchrum ejus compa-

ruerit-

ruerimq, merituros nos cœlestis felicitatis præmia, si ibi steterimus, ubi finem imposuit consummatissimo meritorum absolutissimorum & infinita pretiositate turgentium cursui, satisfacturos nos justitiæ divinæ, si stillante per artus sudore, aut horrentibus ad frigoris inclementiam membris, aut periclitantibus nobis inter maritimas tempestates, aut palpitantibus ad latronum prædonumq; pericula pectoribus, aut fatigatis per inhospita & inculta terrarum nervis, aut loculis exhaustis, aut tabe atq; inedia consumtis confectisq; viribus eò properaverimus, ubi ab omnibus asperrimorũ & immanissimorũ laborum dolorumq; fatigationibus conquievit æterna nostra quies; si quando parum indulsimus naturæ nostræ teneritudini, & peritinera, jejunia, vigilias, contentiones eandem lacessivimus, indulgentias pretiosas speraverimus, Dominum

apud

apud sepulchrum suum plus gratiæ cœlestis largiri crediderimus, quam alibi æternæ salutis sancta ὀχήματα atq; ἀντλήματα vehicula atq; haustra dispensat, jam nostra peregrinatio extra sanctitatis orbitã est, jã prætergressa est vestigia Domini, jam non invenit Dominum, sed amittit. Promtum illud esset ex divinarum literarum justissimo felicissimoq; itinerario demõstrare, si disputare rem exactius instituissemus, aut hic sermonis nostri foret terminus atque scopus. Nuspiam sanè nos ad sepulchri sui frequẽtationem evocat cœlestis itinerum nostrorum ad Cultum divinorum pertingentium Imperator JESUS? Ubi cursus, viæ, itineris, actuum, semitarumq; religiosarum in sacro hodœporico nostro meminit, nullius sepulchrum Domini terminum esse jussit. Quomodo ergò peregrinationem velut actum cultus divini suscipiet, qui co-

lendi Domini ad illum actum nescit jussum aut imperium. Arcanum illud & ineffabile Numen ex nostri arbitrii præscripto non colitur. Quomodo colas Deum, à colendi tremendiq; Dei nutu atq; voluntate dependet. Itaq; ille nobis omnem cultum divinæ suæ Majestati debitum verbo clarissimo explicavit. Nec tantum cultus ipse divinis est delineatus tabulis, sed & cultus modus. Nusquam autem revelatum nobis est, ad modum sanctæ venerationis, ad gloriam sempiternæ Majestatis referendæ, pertinere iter ad sepulchrum Domini, è remotissimis orbis terrarum partibus obeundū. Frustra oggāniunt Patroni Erronum; non ad omne cultus divini momentum esse necessarium cœleste monitum: nec enim mandatum esse, ut in templis potius ad sacra perficienda coeamus, aut de suggestu perorantem Ecclesiasten audiamus, quā

in com-

in compitis aut è feneſtra: illud tamen eligi, neglecto hoc: ſic & in voto noſtro poſitum eſſe, ut potius ad ſepulchrum Domini numen adoremus, quam alibi terrarum. Fruſtra, inquam, quæritur hoc patrocinium. Id verbo ſuo docuit ſapientia æterna, ſanctiſſimis congreſſibus, devotis coitionibus, ardentibus conſpirationibus ad cœlos properandum eſſe: neminem tam præruptę præcipitantiæ aut inconſultæ audaciæ eſſe debere, quitot vota, tot pia pectora, agmine facto divinam miſerationem invadentia, ſancto cœtu collaborantia pro laborantibus deſerat. Locus iſtarum congregationum eſt in libertate mortalium poſitus, qui eum eligunt, poſtquam publicis conventibus licuit Numen viſitare, & è cryptis ac cavernis proreptare, qui maximè opportuny eſt. Atqui nec ipſa congregatio, nec locy intra cultus ſanctimoniam occu-

patur, sed ad exteriorē mortalitatis conditionē refertur, qua nō possum angelicarū mentiū modo absq; istis extrinsecis in numinis sacrosāncti adorationē convenire. Id a. cultus Dei est, quod in illa cōgregatione, in isthoc loco ad mandatum divinū perficitur. Ubi omnia à cōsensu cū mandato supremi imperatoris cultus divini formā laudemq; accipiunt, nisi à loco ipso hauriunt. Atqui sepulchri frequentatores ab ipso sepulchro haurire se putant cultū divini sanctimoniā, puriq & Deo propriq uniri se putant, si in sepulcro Domini pedes figāt. Ubi a. modq iste cultq cœlestis nobis divinis literis mandatq est, quo relictā patriā maria trajicimus, penetramq barbarorum pericula & terriculamenta, tandemq; in cavernā aliquam recumbimus. Non ad locum Deus optimus, Deus immensus proclivis est divinis suis illis & beatis accessibus, quo gratia sua frequentat, sed ad cor properat. Quem animo

in se transeuntem cernit, eum antevertit beatitudinis gradibus, imò in eò jam est Dominus Jesus. Itaq; à loco non est quærendum, quod intra cor habetur. Et hæc est gloria congregationem sanctarum, non quod in loco sit, sed quod ex tot constat cordibus, in quibus flammas amoris spirat æternum flamen, in quibus ita singulis habitat Dominus JESUS, ut universos impleat. Veniet hora, quando neq; in monte, neq; Hierosolymis adorabitis Patrem, sed veri adoratores adorabunt Patrem in spiritu & veritate; inquit Veritas æterna. Augustinus Africæ suæ & orbis præclarum sidus ita veritatem explicat. O si invenirem, dicebas, montem aliquem altum & solitarium. Credo enim, quia in alto Deus est, magis me exaudiet ex alto. Quia in monte es, propinquum te Deo putas, & cito Te exaudiri, quasi de proximo clamantem? In excelsis habitat, sed humi-

milia respicit. Prope est Dominus. Quibus? Forte altis? His qui obtriverunt cor. Mirares est. Et in altis habitat, & humilibus propinquat. Humilia respicit: excelsa autem à longè cognoscit. Superbos longè videt. Eò illis minus propinquat, quo sibi videntur altiores. Quærebas ergo montem? Descende, ut attingas. Sed si adscendere vis, adscende. Noli montem quærere. Adscensus inquit in corde ejus. Hoc Psalmus dicit in convalle ploritionis. Convallis humilitatem habet. Ergo intus age totum. Et si forte quæris aliquē locum altum, aliquem locum sanctum, intus exhibe te templum Deo. Templum enim Dei sanctum, anima fidelis. In templo vis orare, in te ora. Sed prius esto templum Dei, quia ille in templo suo exaudiet orantem. Applicem Augustini commentarium ad sepulchri Dominici desideria. O si inveniremus, inquiunt, sepulchrū salva-

Salvatoris, tremendũ orbis redemti spectaculum. Credo quia in Patria sua, in sepulchro suo JESUS est, maximè me exaudiet è sepulchro, in patria. Quia in sepulchro es, propinquum Te JESU putas & cito Te exaudiri, quasi de proximo clamantem. Prope est Dominus. Quibus? Forte sepulchro suo proximis? His qui recondiderunt eum intra cor. Sepulchrum ejus in corde, in convalle plorationis. Ergo intus te age totum. Et si forte quæris Domini sepulchrum, intus Te exhibe sepulchrum Domino. Sepulcrum enim Domini sanctum, anima fidelis. In sepulchro orare, inte ora. Sed prius esto sepulcrum Dei, quia ille in sepulchro suo orantem exaudiet. Audiamus verò porrò sanctorum Veterum judicia de peregrinationibus Hierosolymitanis; Agmen ducat Gregorius Nyssæ Episcopus, Basilii M. frater, Scripsit is gravissimam epistolam

Vide ejus elogia apud Possevinum, app.

epistolam περὶ τῶν ἀπόντων εἰς Ἱεροσόλυμα. Eam Græcè primum eruit Parisiis Guilielmus Morellus è Galliarum Regis Bibliotheca. In Gallicam deinde linguâ transtulit Rob. Stephanus. Diu ante hos incerto interprete Latio vestitu donatâ publicarunt, diligentissimi omnis antiquitatis vestigatores, quos Centuriatores Magd. vocant. Aloysius Lippomanus Patritius Venetus, Veronensis Episcopus, uti Ant. Possevinus indicat, Tomo altero de Vitis sanctorum Gregorio hanc epistolam tribuit, & integram recitat. Nec ipse Cæsar Baronius Cardinalis, aut Antonius Possevinus Jesuita, Bellarmino Cardinali & Jesuitæ adversarii, inficias eunt, eam à Nysseno Gregorio scriptam. Non grave erit vobis, Auditores honoratiss., si venerandum monumentum vetustatis sacro vobis integrum prælegero. Ita ergo Greg. Nyssenus ex P. Molinæi

Cent. IV.

noviss-

noviſſimâ translatione loquitur. Quandoquidem me rogaſti Amice per epiſtolam, de iis qui adeunt Jeroſolyma, de omnibus tibi ordine reſpondendum exiſtimavi. Equidem eos, qui ſe ſemel conſecraverunt ſublimi vivendi rationi, pretium operæ facere exiſtimo, ſi ſemper Evangelii voces reſpiciant. Ac quemadmodũ qui rem ſubjectam ad amuſſim exigunt, juxta amuſſis rectam lineam, quæ præ manibus habent tortuoſa ad rectitudinem revocant: ita convenire arbitror quadam velut recta linea & indeflexâ, Evangelica nim. diſciplina, his applicata, juxta illam ad Deum dirigi. Cum itaq; aliqui eorum, qui ſolitariam & in ſeducto vitam elegerunt, in parte pietatis ponant, viſere loca Jeroſolymorum, in quibus veſtigia converſationis Dominicæ conſpiciuntur; operæ pretium fuerit, ad regulam reſpicere, & ſi hæc ſuadet præceptorum

manuductio, opus exequi ut jussum à Domino: sin verò est extra Domini præcepta, haud scio, quid hoc sit rei, aliquid non mandatum velle agere atq; ita ipsum sibi legem esse honesti. Certè quando Dominus invitat benedictos ad hæreditatem regni cœlorum, profectionem Jerosolyma inter rectè facta non retulit: ac eum qui sint beati pronunciat, hoc studium non complexus est. Consideret verò prudens, cur in eo, quod neq; beatum efficit, neq; ad regnum aptum, opera collocetur. Imò si res esset utilis factu, ne sic quidem à perfectis honestè observaretur. At cum res probè ac sedulò perspecta spiritalem noxam affricet accuratum vitæ genus insistentibus, non est isto tanto digna studio, imò est vitanda summopere: ne qui vitam eligit Deo addictam, ab ulla re noxia configatur. Quid ergo in his est noxium? Graves quidem & sancti mores sunt propo-

propositi omnibus tum viris, tum mulieribus: at peculiaris est vitæ actæ ex studio sapientiæ honestas. Ea autem in separato & solitario vitæ instituto recte observatur; quippe cujus ingenium est à permistione abhorrens & inconfusum: Cum nec mulieres inter viros, nec viri inter mulieres ad tuenda honestatis officia contendant. Sed itineris necessitas accuratam horum observationem in promiscuam negligentiam vertit. Impossibile enim mulieri tantum iter percurrere, nisi habeat comitem custodem, & cum ob imbecillitatem sexus imponitur jumento, & cum inde deponitur, & cum in difficilioribus locis apprehenditur. Utrumlibet autem supposuerimus, sive notum aliquem habet, qui hoc servitium impleat, sive mercede conductum habet, qui hoc ministerium exhibeat; utrovis modo se res habet, non effugit res ista reprehensionem.

tionem. Nam sive se peregrino sive se suo committit, non servat legem temperantiæ. Cum verò per orientis regionem pandochia & diversoria & urbes quam plurimæ licentiam mali & promiscuam libertatem habeant, qui fieri potest, ut transeunti per fumum oculi non mordeantur ejus acrimonia? Ubi polluitur auditus, polluitur oculus, polluitur animus per oculos & aures fœda admittens. An possibile est loca affecta sic transire, ut non afficiaris? Qua autem in re superior erit, qui adea loca venerit? quasi verò ad hæc usq; tempora Dominus illis in locis corpore versetur, à nobis verò recedat: aut quasi abundaret Jerosolymis Spiritus S. ad nos verò transire non posset. Atqui si ex his quæ apparent, certa possunt capi argumenta divinæ præsentiæ, meritò quis existimaverit, Deum magis in gente Cappadocum, quam extra commorari. Quam

multa

multa n. sunt apud eos altaria, per quæ nomen Domini honoratur? Non temere quisquam reliquo fere orbe tot enumeraverit altaria. At hæc si largior esset in Jerosolymitanis locis gratia, peccatum inter homines ibi agentes non esset familiare. Nunc vero nullum non impuritatis genꝰ apud eos perpetratur: nequitiæ, adulteria, furta, idololatriæ, veneficia, invidia, cædes: & maximè quidē hoc malum ibi familiare est, usq; adeò ut nusquam tanta sit ad cædem proclivitas, quanta illis in locis, hominibus ferarum more currentibus ad sanguinem popularium frigidi lucri ergo. Ubi igitur talia fiunt, quo argumento ibi ampliorem quam alibi gratiam esse contendas? Nec me fugit, quid contra hæc, quæ dixi, multi oggerunt. Cur non inquiunt hanc tute legem indixisti tibi? Nam si ibi fuisse nihil affert utilitatis ei, qui ad Dei cultum peregrinatio-

nem

nem suscepit, quamobrem tam longi itineris laborem sustinuisti? Audiant ergo meam super his defensionem. Mihi ob necessitatem, in qua vita mea constituta est, ab eo, qui vitam nostram dispensat, accidit venire usque ad loca sacræ synodi ad emendationem Arabicarum Ecclesiarum convocatæ: ac quoniam Jerosolymitanæ regioni Arabia est contermina, eo veni ex promissione & communicaturus consilium cum præsidibus sacrarum Ecclesiarum Jerosolymitanarū, quia turbatæ erant eorum res & arbitro egebant: tum pientissimo Imperatore nobis præbente viæ facilitatem dato publico vehiculo, liberi eramus à necessitate ea patiendi incommoda, quæ in aliis animadvertimus. Vehiculum enim nobis erat vice Monasterii & Ecclesiæ, toto itinere cunctis concinentibus & jejunantibus Domino. Nostrum ergo exemplum neminem offendat

offendat: sed potius suasio nostra fidem inveniat, quia de his consilium damus, quæ ipsi oculis usurpavimus. Nos enim & antequam eo loci veniſſemus & porro, Christum esse Deum verum confessi sumus, nec imminuta est nostra fides, nec ex eo aucta. Et jam sciebamus assumptionem humanæ naturæ per virginem ante aspectam Bethlehem, & credidimus resurrectionem ex mortuis ante visum monumentum: & ascensionem in cœlos veram esse confessi sumus etiam non viso olearum monte. Hic nobis unus itineris fructus, cognovisse ex collatione, nostra externis esse longè sanctiora. Quapropter timentes Dominum, eum in quibus agitis locis laudate. Loci n. mutatione ad Deum non acceditur: sed ubi locorum fueris, ad Te veniet Dominus, si modo tale inveniatur animæ tuæ diversorium, ut possit in Te habitare Dominus & inambulare: sin

re: sin verò interiorem hominem habueris plenum improbis cogitationibus, etiamsi fueris super Golgotha, etiamsi super mõte Olearum, etiamsi sub monumento resurrectionis, tantum abes à Christi in animum tuum receptione, quantum qui neq; fidei principia agnoscunt. Suade igitur, dilecte, fratribus peregrinari à corpore ad Dominum, non vero à Cappadocia in Palæstinam. Quod si quis Domini vocem opponat, præcipientem discipulis non abscedere Hierosolymis, hoc dictum sic intelligat, quandoquidem Spiritus S. gratia & distributio nondum advenerat Apostolis, jussit eos Dominus unà manere, donec induerentur virtute ex alto. Certè si quod ab initio erat, duraret ad hæc tempora Spiritu S. dispensante in specie ignis singula dona, oporteret omnes ibi esse, ubi fieret donorum distributio. Si verò Spiritus quo vult spirat,

omnino

omninò qui hîc crediderunt, fiunt participes divini muneris secundum analogiam fidei, non secundum profectionem Jerosolyma. Hæc Gregorius Nyssenus de peregrinationibus Jerosolymitanis. Contra quas validissima monitorum pondera expendistis, Aud. Splendidissimi, Ornatissimi. Non habent è mandato cœlesti originem. Non conferunt ad benedictionem regni cœlestis, nec illi aliquem faciunt aptiorem. Affricant spiritalem noxam etiam perfectis, & magno animo contra mundi illecebras euntibus. Pugnant cum studio veræ atq; æternæ sapientiæ. Per pessima exempla, ad pessima exempla deducunt. Deducunt ad locum, ubi Spiritui sancto vehementi vitiorum torrente cõtra fluunt homines. Dominus in omnibus locis est gratiæ suæ promtissimus dispensator. Dominum etiam extra Hierosolymam magnis præsentiæ gratiosum

docu-

documentis suam mortalibus obsignare miserationem. Fides nihilo ex Jerosolymis visis redditur auctior. Loci mutatione ad Deum non accenditur. Munera divina non secundum profectionem Jerosolymitanam distribuuntur. Licet ergo ad anachoretas scripserit Gregorius, ea tamen scripsit, quæ omnes ab illo itinere absterrere possint. Sanè quantò nunc Jerosolymis omnia in deterius sunt lapsa, quam tum fuerunt, cum ista scriberet Gregorius, tantò alieniores ab eundi desiderio esse debemus. Gregorius sub Gratiano scripsit, sub quo Jerosolyma nequaquam tanta fuit pressa barbarie, quanta nunc sordidata jacet & conculcata. Cæterum hanc Gregorii Nyss. epistolam alii è S. Patribus obsignarunt.

Ref. in vita ejus Antonius Eremitat, magnum inter Pontificios nomen: Græci, inquit, studia transmarina sectentur & in alieno orbe constitutos inanium literarum

terarum quærant Magistros. Nobis vero nulla proficiscendi, nulla transfretandi fluctus necessitas imminet, in omni sede terrarum constituta sunt regna cœlorum. Tribuitur insuper Augustino vox hæc. Rogo vos fratres, quid delicatius, quid benignius dici potest? In potestate nostra posuit, qualiter in die judicii judicemur. Non dixit, Vade in Orientem, & quære justitiam, naviga usq; ad Occidentem, ut accipias indulgentiam, Nihil extra te quærit. Ad teipsum & ad conscientiam tuam te Deus dirigit. In te enim posuit, quod requirit. Non enim Medicamenta vulneribus tuis longè opus habet inquirere, peccatorum tuorum indulgentiam si vis intus in cellario cordis tui poteris invenire. Etiam S. Johannes Chrysostomus subsignat: Pellatur, inquit, ex animo rancor omnis, malorumq; memoria perpetua oblivione deleatur. Namq; ad impe-

T. 10. p. 1268

T. 4. p. 58.

impetrandam nostris sceleribus veniam, non pecunias impendere, nec aliud aliquid hujusmodi facere necesse est: sola sufficit bonæ voluntatis integritas. Non opus est in longinqua peregrinando transire, nec ad remotissimas ire nationes. Non pericula, nec labores tolerare, sed velle tantummodo. Quam ergo excusationē habituri sumꝰ in his, quę videntur esse difficilia, quando rem tanti lucri tantæq; utilitatis nullius q; laboris perpetrare negligimus. S. Hieronymus nobis objicitur, tanquā signaculum suum abnuens. Votum primum ex epistola ad Marcellam producitur. Martyrum, inquit, ubiq; sepulchra veneramur. Et sanctam favillam oculis apponentes, si liceat, etiam ore contingimus, & monumentum, in quo Dominus conditus est, quidā existimant negligendum? Si nobis non credimus, credamus saltem Diabolo & angelis ejus, qui

quoties

quotiescunq; ante illud de obsessis corporib9 expelluntur, quasi in conspectu tribunalis Christi stantes contremiscunt, rugiunt, & se dolent crucifixisse, quem timeant. Si post passionem Christi (ut sceleratavox concrepat) hic detestabilis locus est, quid sibi voluit Paulus Hierosolymam festinare, ut ibi faceret Pentecosten? Quid cæteri sancti & illustres viri, quorum vota & oblationes post prædicationem Christi ad fratres, qui erant Hierosolymis, deferebantur? Longum est nunc ab ascensu Domini usq; ad præsentem diem per singulas ætates currere, qui Episcoporum, qui Martyrum, qui eloquentium in doctrina Ecclesiastica virorum venerint Hierosolymam, putantes, minus se religionis, minus habere scientiæ, nec summam, ut dicitur, manum accepisse virtutum, nisi in illis Christum adorassent locis, de quib9 primum Evangelium

gelium de patibulo coruscaverat, Sed hoc votum pronunciat Hieronymus non contra nos, aut Gregorium; sed contra eos, qui scelerata voce locum Crucifixionis & sepulchri detestabilem vocant. Votum alterum ex ejus epist. ad Eustochium Virginem, qua epitaphium Paulæ complectitur, producitur. Bethlehem ingressa Paula & in specum Salvatoris introiens postquam vidit sacrum virginis diversorium, & stabulum, in quo agnovit vos possessorem suum, & asinus præsepe Domini sui, me audiente jurabat, cernere se oculis fide infantem pannis involutum, vagientem in præsepe Dominum: Magos adorantes, stellam fulgentem desuper, matrem virginem, nutritium sedulum, pastores nocte venientes. Sed nec hîc aliquid contra nos pronunciatur. Laudanda est Paulæ pietas, quæ ista mysteria animo complexa est. Si tum demum comple-

complecti cœpit, reprehendenda Monialis tarditas. Audiamus verò Hieronymum, ubi candidè & apertè suum promit ad Gregorianam epistolam signaculum. In hortatoria ad viram Monasticam, qua Paulinum simul ad scripturarum studium excitavit, his verbis Gregorium exprimit. Non Hierosolymis fuisse, sed Hierosolymis bene vixisse laudandum est. Illa expetenda est civitas, non quę occidit Prophetas, & Christi sanguinem fudit, sed quam impetus lætificat fluminis, quę in monte sita celari non potest, quam matrem sanctorum Apostolus clamat, in qua se municipatum cum justis habere lætatur. Neq; verò hoc dicens, me metipsum inconstantiæ tedarguo, damnoq; , quod facio; ut frustra videar ad exemplum Abrahæ & meos & patriam reliquisse. Sed non audeo Dei omnipotentiam angusto fine concludere & arctare

parvo.

parvo terræ loco, quem non capit cœlum. Singuli quiq; credentium non locorum diversitatibus, sed fidei merito ponderantur. Et veri adoratores, neq; Hierosolymis neq; in monte Garizim adorant Patrem, quia Deus Spiritus est, & adoratores ejus in spiritu & veritate eum adorare oportet. Spiritus autem spirat, ubi vult. Domini est terra & plenitudo ejus. Postquam siccato Judææ vellere universus orbis cœlesti rore perfusus est, & multi de Oriente & Occidente venientes recubuerunt in sinu Abrahæ, destitit notus esse tantum in Judæa Deus, & in Israel magnum nomen ejus; sed & in omnem terram exiit Apostolorum sonus, & in fines orbis terræ verba eorum. Salvator ad discipulos suos loquens, cum esset in templo, surgite, inquit, abeamus hinc! & ad Judæos, relinquetur vobis domus vestra deserta, si cœlum & terra transibunt, utiq; transibunt

bunt omnia, quæ terrena sunt. Et crucis igitur & resurrectionis loca his prosunt, qui portant crucem suam, & cum Christo resurgunt quotidie, qui dignos se tanto exhibent habitaculo. Cæterum, qui dicunt templum Domini, templum Domini, audiant ab Apostolo, Vos estis templum DEI, & Spiritus DEI habitat in vobis. Et de Hierosolymis & de Britannia æqualiter patet aula cœlestis: Regnum enim Dei intra vos est. Antonius & cuncta Ægypti, & Mesopotamiæ, Ponti, Cappadociæ & Armeniæ examina Monachorum, non viderunt Hierosolymam, & patet illis absq; hac urbe paradisi janua. B. Hilarion cum Palæstinus esset, & in Palæstina viveret, uno tantum die vidit Hierosolymam, ut nō contemneret sancta loca propter viciniam, nec rursus Dominum loco claudere videretur. Ab Hadriani temporibus usq; ad imperium Con-

stantini per annos circiter CLXXX. in loco resurrectionis simulacrum Jovis, in crucis rupe statua ex marmore, Veneris (Notate in transcursu; Eusebius dixit, in loco sepulcri qui idem resurrectionis est, Veneris idolum stetisse) à gentibus posita colebatur, existimantibus persecutionis autoribus, quod tollerent nobis fidem resurrectionis & crucis, si loca sancta per idola polluissent. Bethlehem nunc nostram, augustissimum orbis locum, lucus inumbrabat Adonidis, & in specu, ubi quondam Christus parvulus vagiit, Veneris amasius plangebatur. Eccur inquies hæc tam longo repetita principio. Videlicet, ne quicquam fidei tuę deesse putes, quia Hierosolymam non vidisti, nec nos idcirco meliores existimes, quod hujus loci habitaculo fruimur, sed sive hic sive alibi æqualē te pro operibus tuis apud Dominum habere mercedem. Ita

Hierony-

Hieronymus de peregrinationibus Hierosolymitanis. Sunt hæ rationes ad universos Christi fideles pertinentes, docent omnes ordines, non augmentum sanctitatis, meritorum, indulgentiarum ex ista profectione sperandum esse, ubiq; ad omnia dona cœlorum patere accessum. Pergit deinceps propriis rationibus Paulinum ab itineris desiderio abducere & solitudinis professionem ipsi inculcare. Sed nos ista non persequimur. In regno Pontificio etiam Monachi & Anachoretæ cursitarunt Hierosolymam. Sed satis à magnis nominibus in Ecclesia Dei obsignata est Gregorii Nysseni epistola. Itaq; sive jam elogia sive exempla peregrinationis Hierosolymitanæ ad sanctum sepulchrum ex antiquitate aut historia afferat, qui superstitiosa tueri itinera satagit, frustra laborat. Non fuit in sanctis illis hominibus ex molesto ad sepulchrũ itinere spes

aliqua arctioris cum Deo immortali copulæ, non opinio penitioris introitus in vulnera Jesu, non vicinioris in cœlum transitus vana persuasio, non fidei augendæ desiderium, non majoris cum angelis sepulchri custodibus familiaritatis sanciendæ imaginatio. Placebat oculis intueri, quæ libris antea & picturis usurpabant. Cui voluptati illo tempore, quo hoc tutum & certum erat, & conscientia intemerata fieri poterat, satisfeciſſe, inter delicias illius seculi fuit. Dicebat Simeon priscus Eremita: *Nos* qui persequimur vitam monasticæ exercitationis, & quietè amamus, tamen per deserta erramus, in monte Sina cupientes adorare Deum universorum, in quo cum Mosi servo suo apparuisset, dedit legum tabulas, non quod existimemus, Deum esse loco circumscriptum: audimus enim eum dicentem, Cœlum & terram ego impleo, & quod

conti-

contineat terræ ambitum, eosq; qui in ea habitât, tanquam locustas: Sed quoniam ij, qui ardenter amant, non solum amatos desiderant, sed etiam illis loca grata sunt, & jucunda, in quibus ii fuere præsentes & in quibꝰ versati sunt. Quantum hæc absunt ab illa insania, qua se in Orientem ingentibus & in ermibus sæpe copiis effuderunt Occidentales. Producamus unicum ejus specimen. Anno post Ortum æternæ lucis è sereꝰ Virgine 1064, ducibus Sigefrido Archiepiscopo Moguntino, Willelmo Trajectensi, Gunthero Bambergensi, Ottone Ratisbonensi Episcopis, septem millia virorum & amplius in Palæstinam una contenderunt. Erant exquisitè adeo ornati ad humile, ter, & tanto instructi apparatu ad religiosum scilicet facinus, ut prædonum in se arma pellexerint, & sæpius ingenti cum discrimine confligere necesse habuerint. Unde

extanto numero vix bis mille superstitet remanserunt. Rem ex Mariano Scoto, Lamberto Schafnaburgensi & Ingulfo Abbate Croylandensi copiosè exequitur Cæsar Baronius in annalibus. Quo spiritu illi Episcopi acti fuerint, ut invidendo splendore ad remotissimas orbis partes contenderent, suarum Ecclesiarum curam suspenderent & quinq; millia virorum exitiali malignitate pessundarent, an hæc sit ad gloriam sepulchri Dominici pertinens peregrinatio, quæ tot organa cœlestis gloriæ, tot Deo consecranda templa viventia perdit, promtum est discernere. Porro, quamvis eo tempore, quo Constantinus M. religioni sanctæ restituit passim suam libertatem, erexit trophæa passim illustria, loca Salvatoris gestis inclyta honoravit, ubi in plenissimo flore atq; ornatu stetit Christianismus, prudenter ejusmodi peregrinatio institui fortasse potuis-

Tom. II. p 376.

set

ser, quomodo verò sequioribꝰ temporibus, ubi & Christianismus aut collapsus erat, aut funditus deletus, & ipsa monumenta Christianismi maxima, adeoq; ipsum etiam dominicum sepulchrum destructum & dirutum jacet, sine manifesto errore ad religiosam peregrinationem excitari poterant homines. Quis jam per aliquot retrò secula fuerit Christianismi in Palæstina status, quam cadaverosa religionis nostræ facies, loquuntur historiæ. Nyssenum Episcopum de pudenda vitiorum colluvie Hierosolymam conspurcante conquerentem, jam supra audivimꝰ. S. Hieronymus ait jam suo seculo, crucis & resurrectionis loca esse in urbe, in qua curia, in qua aula militum, in qua scorta, mimi, scurræ, & omnia fuerunt, quæ solent in exteris urbibus esse. In decimo tertio post natum Christum seculo quæ fuerit Hierosolymitanæ Ecclesiæ facies, vi-

deamus. Ne dicamus, aut in promiscuum vulgo irrepsisse tantum vitiorum contagium, aut contaminasse magnates & aulas, facit Jacobus de Vitriaco primum Acconensis, deinde Tusculani Episcopus, Ecclesiæ Romanæ Cardinalis sedisq; Apostolicæ in terra sancta Legatus. Amplissima ille querela prosequitur omnes ordines. Maximè tamen in Pastorum negligentiam invehitur. Legam vobis, A. S. verba Cardinalis. Ut, inquit, à sanctuario Domini incipiamus, postquam omnis pene mundus in eleemosynis & oblationibus & variis muneribus ecclesiarum prælatis & personis regularibus factus est tributarius, pastores semetipsos pascentes, lanam & lac ex ovibus quærentes, de animabus autem non curantes, quinimo proditionis exemplain subjectos transmittentes, vaccæ pingues in monte Samariæ factæ sunt de Christi paupertate divites, de ejus humilitate superbi, de illius ignomi-

l. 1. c. 71.

nia glorioſi, de crucifixi patrimonio impinguati, dilatati, incraſſati: cum tamen dixerit Dominus Petro; paſce oves meas: nunquam tonde oves meas ipſum dixiſſe reperimus. Dum n. quæ ſua quærerent, non quæ Jeſu Chriſti, facti ſũt cœci duces cœcorũ, canes muti non valentes latrare. Domũ Domini pompaticè ingredientes, clavem ſcientię habentes, ipſi tn. nec intrabãt, neç alios intrare ſinebãt. Lepra a. Giezi miſerabiliter reſperſi, cathedras vendẽtiũ columbas & nummulariorum menſas, quas Dominꝰ evertit, ipſi paſſim in Eccleſiis erigebant dicentes cum Juda proditore, Quid vultis mihi dare & ego vobis tradam illum? omnes autem diligebant munera, ſequebantur retributiones, auferentes claves Simoni Petro, & eas Simoni Mago tradentes. Diffluentes autem luxu multiplici & otio turpi marcentes, non ſolum de micis, quæ cadebant de menſa

Domini, sed de panibus integris & de cibis delicatis pascebant catellos suos, quos de turpibus concubinis ipsi turpiores procrearunt. Hæc Jacobus de pastoribus: non minus pudenda de regularibus, Monachis & sanctimonialibus refert, quæ enarrare nimis longum foret. Nimirum apud hos homines quærendum est sepulchrum Dominicum, apud quos exulat pietas, religio, honestas & omnis sepulti Domini memoria. Demum sepulchrum Dominicum, quod sub Constantino M. dicitur è terrarum ruderibus effossum, nonne à Cosdroe Persarum Rege dirutum atq; eversum est? septimi nimirum post Christū natum seculi fere principio? Unde constat, Heraclium Imperatorem eandem tumbam, eosdem lapides, vetera rudera eadē omnia collegisse, cum restitueret templum Dominici sepulchri. Præstiterit verò illud Heraclius, fuerit sine errore illis seculis terminus maxi-

mum peregrinationis, nonne anno post millesimum nono ab Ægyptio Sultano templum sepulchri Dominici incensum est, & ut Rodolphus Glaber air, tuditibus ferreis tumulus sepulchri concavus concussus, ut comminueretur. Nonne, si Curopalatæ credimus, quem Baronius sequitur, anno nongentesimo sexagesimo nono pulcherrimum dominicæ sepulturæ templum combustum est à Saracenis? Quis evictionem præstabit, illud ipsum Dominici corporis conditorium inviolatum permansisse atq; integrum. Ita quidem persuadere orbi volunt illi, qui pertinaciam erroris pro armis induerunt & ab audacia sibi præsidium sumserunt. Et hi tamen ipsi in dominici sepulchri forma quantum inter se distant? Beda, Brocardus, Anselmus, alii, qui sepulchri Dominici antrum descripserunt, mirum in modum variant. Variant inde, qui veteres sc-

Beyerl. l. P. p. 182.

Tom. X. p. 831.

res sequuntur. Baronius cum Beda & Adamnano unam spelunçam sepulchri dominici asserit. Barradius cum Burchardo duas cõminiscitur. Baronius antiquioribus standum, Barradius in autopsia acquiescendũ putat. Sed nolo istis ambagibus immorari. Recitabo nunc unum Guilielmi de Baldensel Equitis aurati Hierosolymitani testimoniũ, quod habet in hodæporico ad terram sanctam, jussu Thalayrandi Comitis Petragoricensis Anno 1336. edito, Vulgato ab Henrico Canisio in Antiq. Lect. Illud verò advertendum est, inquit, quod monumentum illi sanctissimo loco superpositum, non est illud, in quo corpus Christi sacratissimum exanime primitus est immissum: quia sacro attestante eloquio, monumentum Christi erat excisum in petra viva scilicet, quomodo antiquorum monumẽta, & præcipuè in his partibus fieri communiter

p 25. Tom. 3.

niter consveverunt : illud vero ex petris pluribus est compositum, de novo conglutinato cæmento, minus artificialiter & minus quam deceat ordinatè. Locus etiam ipse monumenti Christi fuit per infideles longo tempore possessus ante tempora Latinorum & profanatus, qui nihil in ipso dimiserunt, quod devotionem fidelium posset de hujusmodi provocare. Quando etiam Hierusalem capta est ultimò à Saracenis, per certa pacta & tractatus civitatem sanctam dimiserunt & assultu capta non fuit : nec verisimile est, posito quod in loco sepulchri aliquid fuisset de uno monumento, quod Christiani dimisissent aliquid ibidem ab infidelibus conculcandũ, cum etiam nunc fideles studeant, eadem loca visitantes, de petris & terra quantum possunt portare & si possent utiq; totã asportarent vestigiis Christi consecratam. Veruntamen

men quicquid sit de hoc, ipse locus Christi formaliter moveri non potest, sed remansit & remanebit immobilis in æternum. Hæc Guil Baldensselius Eques: cum quo insanum de tantis suscipiendis ad sepulchrum Dominicum lustrandum itineribus consilium porro disquirere omittã, ubi prius pro Romanensibus arcanum quoddam evulgavero, quod omnes Hierosolymam eundi tollas cogitationes. Vulgatus est superioribus annis Romæ liber, in quo templis in urbe diversis annexæ exponuntur indulgentiæ. In eo ex epistola quadam Bonifacii, quem Germanorum Apostolum vocant, hæc excepta sunt verba. Si scirent homines indulgentias Ecclesiæ Lateranensis, quod tot essent, non eis opus esset, ut irent ad sepulcrum Domini. Sic Hierosolyma cum omni apparatu, monumentis omnibus, reliquiis universis prostrata & conculcata est.

Credo

Credo tamen in Laterano quoq; lateres pro marmoribus venditari. Nobis aliter sanctæ peregrinationis consilia sunt ordinanda, ut ad complexum atq; oscula salutiferi sepulchri perveniamus. Ut in sublime feramur, ubi vivaciſſimum cœlorum sepulchrum assequi fas est, ex profundo primum exscendendum est. Spiritus numero innumeri, quos throni sui immensi comites splendidiſſimos Creatoris prima sanctio esse jussit, postquam desciverunt à sanctiſſimo felicitatis descriptæ termino, in immane quoddam bustuarium, ubi sine cineribus in terminabili conflagratione torquerentur, projecti sunt, quod & orcus, & barathrum, & tartarus, & infernus vocatur, & si quæ alia sunt vocabula, quib9 extremæ abjectionis seu infamia, seu dolor, seu pernicies seu perennitas exprimitur. Pulcherrimi quondam spirit9 in hoc sepulchrum procul à

cul à vitæ sempiternæ amoribus præcipitati sunt. Idem in sepulchrum autor generis nostri Adamus cecidit, postquam thronum & gloriam Dei infelici ambitu, insusurrante Phantaso perditore, somniaret. Et nos, qui tum universi unus ille fuimus, una in præceps & perniciem ivimus. Ultra mortis nomen nihil erat, omnia lætissimis principiis felicitatem sine termino pollicebantur. Paradisus sepulchrum agnoscebat nullum Angelorum sanctorum svavissimum commercium de largissimo æternitatis lucro promittebat plurimũ. Arbor vitæ suas etiam opes, suas vires ostentabat. Arbor una, ex qua sola & salus & exitium nostrum pendebant, inter vitanda censebatur, sic tamen jucundissimo suo spectaculo inter admirationem & obœdientiam positis multum dulcedinis confirmaret. Audacibus contra Dei conditoris legem mentibus

tibus manibusq; mors oriebatur, sepulchrum fodiebatur, tartarus erat, præcipitium erat, lacus, in quo nihil defluentis felicitatis, erat. Ex hoc thesauro orcino primum exscendendum est. Neq; enim quamdiu in illa mortis teterrimæ Caligine intra nequissimorum spirituum claustra hæremus, gradus ad sepulcrum Dominicum lætus datur. Soliti sunt quondam immundi spiritus, quos immani quadam rabie occuparunt, in sepulcris atq; coemiteriis quasi captivos non raro detinere. Sive, ut, quod Chrysostomo, Theophylacto & Euthymio videtur, hominibus cæteris persuaderent, animas hominum fatis suis concedentium indæmones verti; sive quia huc adacti sunt superiore potestate, sub cujus sunt imperio, ne promiscua in mortalium cœtibus oberratione plus furoris & horroris trepidis ad talia monstra mentibus incuterent: sive

altior

altior quædam subsit causa. Exhibent sanè imaginem Carceris nostri, in quo universos mortales sua miseria captivos habet. Itaq; post exitialem averni descensum, revocandus gradus superasq; ad auras evadendum. Data nobis est vitæ sepulchro Dei, data nobis robora e sepulchro Dei, data arma e sepulchro Dei, data è sepulchro Dei fiducia, data nobis è sepulchro Dei via hoc tetricum & immane sepulchrum superandi. Nullum est vivendi felicitate donatis commercium cum mortuis. Neq; in cadaverum stabulo, commorantur, quibus animus bene conditus est. Enitamur & nos è Satanæ sordibus, fugiamus ab æternæ mortis halitu, secedamus à turpissimo cum malignis Spiritibus commercio, quos, cum semel secessissent à cœlestib9 obsequiis in perpetuum secluſit numinis irati interdictum. Cogitamus subdola esse omnia & suppo-

suppositio cinere infernali periculosa. Non in remotis quibusdam solitudinibus est inferorum barathrum, perditionis tartarus, fœdissimus animarum mancipatus. Ubi quisque suum habet conditorium infelix vespillo. Est in solio, sub corona, in purpura, inter adorantium adulationes & vaframeta, quem thesauro orcino inclusit Satanas. Est sub infula, sub tiarâ, in podere, in sacrificiorum nidoribus, inter spiramenta atq; odoramenta thuris, qui magna asseveratione Deum promittit & æternitatem & cætera bona, quibus solis beneest mortalibus, quem vinculis sepulchralibus suis maleferiatus dæmon obstrinxit. Itaq; nullum vestigium tam sanctum est, tam sublime, tam munitum, sub quo non ad inferos iter pateat. Quod nisi sapientia é cœlis hausta cavens, frustra sepulchrum Dominicum cogitamus. In media Hierosolyma, intra ipsos sancti se-

cti sepulchri recessus, Satanas suum feretrum, suum tumulum habet. Esto catenis, aut ligamentis quibusvis aliis dominicæ cruci, si superstes esse daretur, adstrictus, maligni Spiritus subesse potes insidiis. Illæ ubiq; prospiciendæ, ubiq; fugiendæ sunt. Ubiq; cogita Satanæ mortem, Satanæ sepulchrum, quibus ille innumeros mortalium absorpsit, innumeros ad pollincturam parat, & flagrantissima erit ad Dominicam mortem, Dominicam sepulturam profectio. Pari judicio mundus hic immundus apud nos notatus esse debet. Est sane quantus quantus est Ossarium, bustuarium, tumulus. Mille mortes corporibus nostris meditatur, ubiq; sepulchrum ostendit; nunc terra sorbentur, nunc aqua rapiuntur, nunc igne vocantur miseri mortales. Nescius ubi nos sepulchrum nostrũ expecter, ut occupet; itaq; ubiq; nobis occupandum sepulchrum Dominicum.

minicum. Deferamus turpissima vitiorum sepulchra, in quibus omnis animarum nostrarum pulchritudo perditur. Quid avaritia, quid libido, quid luxuria, quid reliqua diaboli machinamenta, quibus involvuntur homines cœlorum oblivioſi, ſepulchrorum inferorum incurioſi, ſepulchra ſunt, quibus animæ ad fœtorem intolerabilem & cœlitibus non ferendum componuntur. Ex his mortualibus exeuntibus felix ad ſepulcrum Dominicum datur exſcenſio. Purum hoc eſt, ſanctum eſt, neſcit putredinem, neſcit libidinem, neſcit inquinamenta. Simplex hîc ſummæ bonitatis fulgor, incontaminatus æternitatis candor. Ubi ita mundum reſpexerimus, ut perſvaſiſſimi ſimus, ſub exquiſitiſſimo ejus quocunq; apparatu, inter ſpecioſiſſimas quascunq; delitias, inter blandimenta & ſuavia, etiam cum candidus & infucatus & honeſtatis velamento

mento tutus esse videtur, semina miserabilis interitus nostri & horrendæ animarum nostrarum sepulturæ latere, tutum nobis & bene stipatum est nobis ad sepulcrum Dominicum iter. Nondum finis est exhumationum, latet intra nos magna ignorantiæ caligine obsitum, obsitum, multa congerie diversissimorum affectuum abditum sepulchrum, in quo instaurando, muniendo, custodiendo omnis inferorũ potestas, omne mundi ingenium fatigatur. Meministis è sacris monumentis, fuisse Num. 11. Israelitis sepulchra concupiscentiarum. Ea sunt intra omnes mortales. Ab his concitatissimo quodam gradu & mentis quadam angelica velocitate exeundum est ad sepulchrũ Cassiod. l. VI. Var. ep. 8. Dominicum contendentibus. Fuit olim diligenter cautum, nequis vestita marmoribus sepulchra denudaret, ne quis columnarum decorem irreligiosa temeritate præsumeret: nequis

nequis cineres alienos, aut longinquitate temporis aut voraci flamma consumtos, scelerata per scrutatione detegeret: ne corpus quod semel reliquerat molestias mundanas, humanas iterum pateretur insidias. Religio hæc nostrum illud quod in sinu gerimus sepulchrum concupiscentiarum non tuetur. Ejus frigidissima murmora denudanda sunt, ejus subvertendæ columnæ, ejus cineres & favillæ dissipandæ, totum illud comminuendum est. Sic nobis è Satanæ & mundi sepulcris liberis, subfuto in nobis quoq; concupiscentiæ tumulo novum sepulchrum è cœlis paratum est, ipsum sepulchrũ Dominicum proximum est. Mira est Dominici sepulchri & felicis Hierosolymæ fecunditas. Unum est Salvatoris JESU sepulchrum, una felix & libera Hierosolyma. Et tamen in singulis fidelibus integrum stat JESU conditorium, tota Hierosolyma.

Quos

Quos cœleſte & vivificum complet lumen, in illis admirabili fertilitate excitantur iſta omnia. In cordibus ſanctorum ſancta DEI civitas eſt. Deus habitator eſt, Angeli excubitores. Omnes divitiæ cœlorum hic conferuntur. Jacet hic ſanctiſſimâ conditurâ JESUS vulneribus, vibicibus, livore pro noſtra ſalute ſepultus. Munit ipſe hoc vivum & æternis gaudiis plenum ſepulchrum. Supra mauſolæum, ſupra pyramidum gloriam atq; faſtigiũ exſcendit cordis humani dignitas. Ejus inexplicabilis eſt felicitas. Cunas ſuas, ſuas faſcias, ſua linteamina, ſuos livores, ſuos dolores, ſua vulnera, ſua flagella, ſuam crucem, ſuum ſepulchrum, ſuam è ſpinis coronam nobis donat Salvator Deus. Ipſe in nobis regnat, in nobis triumphat ſupra iſta omnia. Quam facilis eſt jam ad Dominicũ ſepulchrum profectio, ſi in nos deſcenderimus, in nobis quæſiverimꝰ

omnia,

omnia, quæ ex terra Sancta in nos comportat felix & exoptatus pro nobis peregrinator. In Ecclesia quanta etiam sepulchri Domini apparet fœcunditas. Habet ea libros divinos. Sunt ea sepulchrum Domini. Quicquid sapientiæ, quicquid cœlestis virtutis pro nostra salute decretum est, in illo conditorio positum est. Ista sacra sindone, isto pulcherrimo marmore totus JESUS continetur. Habet mysteria divina, admiranda, tremenda. Sunt ea conditoria JESU. In baptismo totus vivificus JESUS sepultus est. Consepulti sumus illi, ut illum habeamus, in illius vulneribus sepeliamur, in illo vivamus. Epulum funebre, sancta cœna, hilaritatis veræ delitiæ totum complectitur JESUM: & est hic quoq; supra vires nostræ sapientiæ apparatus quispiam conditorius: est hic monumentum, est hic memoria. Ista sibi vivus fieri fecit, & facienda curavit JESUS. Eri-

gamus nos juxta castrum doloris, per amarissimam contritionem. Et stillabunt corda nostra balsamum ex vivifico fonte Spiritus, quo ungere JESUM tam pretiosè ab illo delibuti possimus. Servemus sepulchrum Domini incontaminatum. Sit hoc solum in linteis fidei & confessionis nostræ sacra sindone, quod Dominus JESUS est. Improba hic est omnis mixtura. Accurrat Deo sacer Magistratus, introspiciat sepulchrum Domini, Sanctam Ecclesiam, an Dominum JESUM adhuc servet. Omnes his itineribus, his conatibus laboremus pro sepulchro Dominico, & perpetui sancti sepulchri hospites, nunquam peregrini, semper domestici erimus. Erimus milites S. sepulchri, gemmis & auro fulgenti circumdati balcheo, cruce insignes aurea, sacramento innexi æterno, privilegiis exornati immortalibus. Ita ad funus, ita ad sepulchrum Dominicum, ita ad æternitatem proficiscimur. Er-

Ho-
spin.
de Mo-
nach.
p. 239.
& seq.

Ergo JESU sepulte, vive idem atq; mortue DEUS, generis nostri felicis conditor, restaurator miseri, tibi gloria mortis, ex qua nobis vita, tibi gloria vitæ, ex qua peccatis & hostibus nostris mors, tibi gloria sepulcri, ex quo nobis immortalitas. Sepulcrum tuum nobis paradisus, nobis arca, nobis columna lucida & ignea, nobis murus igneus, nobis cœlum, nobis beatitudo. Admiranda sepulchri tui fecerunt generis nostri felicitatem admirabilem. Erue gradus nostros magis magisque e Satanæ & Mundi feræli bustuario, ne illius inquinamentis conspurcemur. Everte magis in nobis sepulchra concupiscentiarum, ne tibi sordeamus, dulcissime fragrantissimeq; JESU. Para tibi sancto tuo Spiritu, quo omnia potes, sepulchrum in cordibus nostris, ut facili transitu te habeamus. Erige in nobis doloris tui castrum, ut felicibus lacrymis peccata nostra

prosequamur. Accende circum te lumen de throno gloriæ tuæ apud nos, ut tenebræ nostræ dissipentur. Justitia tua sit in nobis fide ceu sacra sindone convoluta, ut te ambiamus. Esto tu signaculum sanctę hujus sepulturæ tuę apud nos per arrhabonę tui Spiritus. Esto tu lapis, ad cordis nostri ostium positus, ne te amittamus. Serva inter nos sanctum requietorium tuum Ecclesiam. Serva nobis sanctum monumentum tuum, divinas literas, luce tua præi, ut vestigare sanctissimam tuæ sapientiæ in illis condituram queamus. Serva memoriam tuam, sacramenta maxima, in quibus te cum omnibus bonis condidisti. Serva Academiam nostram, pulcherrimum μνημεῖον Tui. Jube eam diu esse æternæ veritatis conditorium, sapientiæ & honestatis conditorium, sepulchrum bonarum literarum, sed in quo vivant atqi eruantur, non putrescant. Serva Magistratum,

stratum & Remp. nostram, custodem & vindicem S. sepulchri. Jube Christianos Principes excurrere ad locum S. sepulchri tui, ubi quondam fuit tua Ecclesia pulcherrimo apparatu condita, ut videant, ex quam multis locis sis amissus. Destrue sepulchra incrustata, dealbata, foris splendida, intus sordida. Rectius moderare seductos, semper sepulchrum tuum memorantes, multum sepulchrum tuum frequentantes, nunquam ad Te pervenientes. Sic ad thronum tuum, ad gloriam tuâ, per sepulchrum tuum, per Te Jesu fili, ad Te Pater summe, in Te Sancte Spiritus peregrinabimur, apud Te diversuri, imò commoraturi, imò habitaturi ô sancta Trinitas, Vera Unitas. Amen.

AD
DISSERTATIONEM
QUINTAM
PROGRAMMA.

DECANUS FACULTATIS THEOLOGICÆ IN ACADEMIA ARGENTORATENSI

JOHANNES SCHMIDT,
S. THEOLOGIÆ DOCTOR,
PROFESSOR ORDINARIUS ET
CONVENTUS ECCLESIASTICI PRÆSES

Lectori Divini Spiritûs gratiam P.

PUlcherrimè Cæcilius Cyprianus Episcopus Carthaginiensis, *Spiritus Sanctus*, inquit, *sacrorum ordinum distributor est: Reges creat & Principes, sacrat Pontifices, eligit Sacerdotes, Hic sapientiâ Sale-*

Salomonem, intellectu Danielem, Joseph consilio, Samsonem fortitudine, Mosen scientiâ, David pietate, Job timore ornat, & Sanctorũ animas omnimodis fœcundat virtutibus. Quicquid enim divinorum χαρισμάτων universa in terris possidet Ecclesia, à Spiritu Sancto habet: hic donorum omniũ fons, aut immensus potius est Oceanus, qui magna subinde in Christianum cœtum gratiæ effundit flumina. Est is cum æterno Patre & Filio Ecclesiæ Architectus 1. Cor. 3. 9. qui lapides ad huc rudes & impolitos præparat, ut fiant idonei, qui Christi ἀκρογωνιαίῳ Matth. 21. v. 42. Ephes. 2. v. 20. agglutinentur, & in domum Dei dignam surgant. Vocat per verbum ex omnibus totius orbis oris & angulis quosvis homines ad regnum gratiæ, invitat & allicit dulcissimis promissionibus, ac venientes sacrosancti ministerii à se instituti virtute *regenerat* Johan. 3. 6. *renovat* Ephes. 4. 23. 24. Coloss. 3. 10. *mundat* Ephes. 5. 16. *sanctificat*, Tit. 3. 5. & sic *veluti lapides vivi ædificati, fiant domus*

spiritualis 1. Pet. 2. 5. Neque verò ab hâc domo suâ, in sui nominis honorem extructâ, recedit, quod gregarios *καυπηγὸς* atque architectos facere videmus, qui ubi ultimâ operi imposuerunt manum, curam ejus plerumque deponunt, & cœli, aeris, tempestatum injuriis relinquunt expositum: imò verò ita Spiritus Sanctus domus suæ architectus est, ut simul etiam in eâ habitet: & quam in ipsâ ædificandâ fidem & curam adhibuit, eandem quoque in tuendâ, conservandâ, ornandâ præstat: id quod largissimâ eaque assiduâ *χαρισμάτων* & donorum suorum facit effusione: hâc enim Ecclesiæ stat, viget, floret incolumitas, hâc ejus gloria crescit, hâc adversus hostium suorum furorem & insidias tuta est. *Duplicia verò dona sunt*, quibus à Spiritu Sancto ornatur Ecclesia: alia fidelibus omnibus communia, alia autem singulis ordinibus, aut nonnunquam etiam certis ordinum personis propria: illa *sanctificantia*; hæc *administrantia* vulgo dicuntur: illa hominem præcipuè, cui adsunt, beatũ reddunt,

ut

ut verâ & salutari DEI agnitione imbutus ad vitam æternam custodiatur; hæc aliis potius inserviunt, &, ut publica officia ritè gubernentur, verbum sincerè annuncietur, sacramenta legitimè administrentur, externa disciplina cõservetur, & omnia εὐσχημόνως gerantur, efficiunt. Ex illorum ordine sunt; *salutaris hominis conversio*, quam Spiritus Sanctus, ossa peccatoris malleo legis conterendo, & conscientiam metu iræ divinæ & ignis infernalis terrendo orditur, ac mox vivificæ in Christum Redemtorem fideiaccensione perficit. Hujus enim opus fuit, quod Judæi (quos Chrysostomus & Cyrillus Hierosolymitanus ex ipsis Christi crucifixoribus, sive iis, qui Christum ad crucem postularant, fuisse arbitrantur) *cordibus compuncti* & trepidantes ad Petrum & Apostolos Actor. 2. 37. *dicunt*: *Quid faciemus viri fratres*? Ejusdem opus fuit, quod hi ipsi Christum crucifixum, quem olim oderant & persecuti fuerant, Filium DEI, mundique Salvatorem agnoscunt, amplectuntur, confitentur, omnemque in

eo salutis spem figunt. Conversionem *confirmatio fidei atque obsignatio promissionum divinarum* excipit, quâ Spiritus Sanctus de gratiâ DEI nos reddit certos, & *dilectionem ejus effundit in cordibus nostris* Rom. 5. 5. ut nos propter Christi meritum, quod fide apprehendimus, peccatorum remissionem consecutos esse & DEO placere, ab eodemque amari in dubitatò credamus: unde *arrhabo cordium nostrorum* dicitur 2. Cor. 1. 22. Eph. 1, 13. Hanc obsignationem *interna Christiani pectoris gaudia sequuntur. Lætitiæ enim Spiritus est* Ps. 51. 14. qui omnem animo pellit mœrorem, dum radicem ejus & causam aufert, & gaudendi materiam undequaque abundantissimè submistrat Es. 61. 10. Inde nascitur *libera & impeterrita*, in mediis etiam vitæ periculis, *fidei confessio*, quam nemo edere potest, *nisi per Spiritum Sanctum* 1. Cor. 12. 13. Oritur etiam hinc *totius vitæ sanctimonia*. Quem enim fide donavit Spiritus Sanctus, ita ut divinæ gratiæ dulcedinem animo perceperit, eum etiam sanctificat, ac ad omne opus bonum reddit idoneum.

idoneum.' *Fructus ejus sunt*, teste Apostolo Gal. 5. 22. *Charitas, gaudium, benignitas, bonitas, longanimitas &c. Impellit ad pias preces*, & invocationem juvat. *Nam quid oremus, sicut oportet, nescimus: Spiritus autem ipse postulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus.* Rom. 8. 26. *per ipsum clamamus Abba Pater* Gal. 4. 6. Largitur etiam *perseverantiam & patientiam* in persecutionibus, ac, ne vel Satanæ, vel hæreticorum, vel Tyrannorum, fraude, perversitate, comminationibus & acerbissimis, quos inferunt, doloribus, frangamur, pectora munit: quo de infinita beatorum Martyrum exempla loquuntur. Præclarè hæc & similia, quæ percensere hic non licet, uno velut fasce Chrysostomus homil. de Spiritu Sancto tom. 3. pag. 882. collegit, ubi, *Spiritus sanctus*, ait, *est spiritus sapientiæ, intellectûs, & exultationis, spiritus consilii & fortitudinis, spiritus scientiæ & agnitionis, spiritus timoris & gaudii, spiritus pacis & fidei, spiritus gratiæ & intelligentiæ, spiritus libertatis & mansuetudinis, spiritus salutis & illustrationis: spiritus sanctus est ima-*

ginis nostræ reformatio, mentis perfectio, animæ instauratio: Spiritus Sanctus author est fidei in DEUM, spiritualis mortalium oculorũ nostrorum sol interni hominis lumen, lucifer in pectoris cælo: Spiritus Sanctus opulentia filiorum DEI, æternorum bonorum thesaurus, arrhabo & pignus æterni regni, primitiæ vitæ æternæ, signaculum gratiæ baptismi: Spiritus Sanctus per fidem facit, quòd nos à DEO in filios adoptatissimus, ipse corda nostra conglutinat Christo: spiritus ipse cibus est diligentium Christum, quo nunquam satiantur: ipse potus est animarum filiorum DEI, ipse charitas eorum, qui sibi conjuncti sunt: Spiritus Sanctus copula est unionis nostræ cum Christo, animarum exultatio, cordis tripudiatio, ignis, fons roris lentus, lugentium consolatio, mœstitudinis depositio, mentis requies, sapientiæ communicatio, prudentiæ inventio, præscientiæ illustratio. Hæc ille. Peculiaria & certis in Ecclesia ordinibus propria χαρίσματα quod spectat, passim legimus à Spiritu Sancto idoneos verbi excitari Doctores & necessariis ad obeunda munera donis instrui. Hic n.

olim

olim per Prophetas est locutus, hic Davidi sua inspiravit vaticinia 2. Sam. 23. 3. hujus motu Elias, Elisæus, Jesaias, & totus, quem scriptura exhibet, divinorum Vatum ordo, varia de futuris rerum eventibus & aliis in Ecclesię usum tradiderunt: hic, ut hisce diebus audiemus, novâ virtute armavit Apostolos, mentes eorum stupendo cœlestis doctrinæ lumine illustravit, linguarum cognitione imbuit, fortitudine & robore auxit, ut in publicum sine omni metu prodierint & Evangelium de Christo crucifixo cum incredibili παῤῥησίᾳ & præsentia animi prædicârint: *qui ipse etiam hodie constituit Episcopos ad regendum Ecclesiam* DEI, *quam acquisivit suo sanguine* Actor. 20. 28. distribuit varia dona pro εὐδοκίᾳ & officiorum ratione: aliis enim largitur *sermonem sapientiæ, alii sermonem scientiæ, alii fidem.* aliis plura, aliis pauciora &c. 1. Cor. 12. 8. unde Prophetæ Veteris Testamenti *Viri* DEI appellantur 1. Sam. 2. 27. c. 9. 6. 1. Reg. 13. 1. In Novo autem Testamento quivis Ecclesiæ ministri dicuntur ἄνθρωποι τοῦ Θεοῦ *homines*

homines Deut. 1. Tim. 6. 11. 2. Tim. 3. 17. non aliam ob causam, quam quod à Spiritu Sancto uno & æterno DEO cum Patre & filio ad Ecclesiæ ministerium & vocati, & missi, & instructi sint, & ab eodem gubernentur ac regantur, ut felici successu & cum multiplici fructu verbum annuntient. Pariter etiam Politico Magistratui sua ad officii administrationem necessaria dona Spiritum Sanctum largiri è Scripturis divinis novimus. Hujus afflatu septuaginta Viri, quos Jehova Reipublicæ Israeliticæ gubernandæ onus unà cum Mose sustinere voluit, sapientiâ & dexteritate fuerunt ornati. Sic n. Dominus ad Mosen: *Congrega mihi septuaginta viros de senibus Israel, & duces eos ad ostium tabernaculi fœderis, faciésque ibi stare tecum, ut descendam & loquar tibi, & auferam de spiritu tuo tradamque eis, ut sustentent tecum onus populi, ne tu solus graveris*: in quæ verba piè & ingeniosè Origenes homil. 6. in Numer. *Hoc*, inquit, *modo figuram hujus mystici sermonis adverte, quasi Moses & spiritus, qui erat in Mose, clarissimi cujusdam lumi-*

nis

nis fuerit lucerna, ex qua alias septuaginta lucernas accenderit DEUS, *ad quas ita principalis illius luminis splendor pervenerit, ut origo ipsa luminis nihil damni commercio derivationis acceperit.* Pertinet huc historia Athnielis Judic. 3.10. qui cœlestis numinis impulsu ad gubernacula Reipubl. venit: Saulis, quem Spiritus Domini *convertit in virum alium* 1.Sam.10,6. ut Regium munus dignè gereret: Davidis 1.Sam.16.13. in quem simul ac in Regem unctus est, *directus fuit Spiritu Domini*, eundemq; prudentiâ, authoritate, & felici rerum successu beavit. Atque ita quicquid hodieque Christianus Magistratus, ubicunque locorum vivat, prudenter deliberat, sapienter sancit, graviter exequitur, Spiritus Sancti gratiâ præstat. Quemadmodum autem olim in Ecclesia, quando ordinarii verbi ministri officio suo defuerunt, & vel ipsi impias introduxerunt superstitiones, aut earundem authoribus se non masculè satis debitóque Zelo opposuerunt, sæpe Spiritus Sanctus extraordinario motu Prophetas excitavit, qui cultum divi-

divinum repurgarent, eundemq; ad priſtinam revocarent ſinceritatem: ita etiam, cum tyranni & perſecutores fidelium cætûs crudelitate diſſiparunt, ut nullibi piis miſerrime vexatis ſpes liberationis & auxilii reliqua viſa fuerit, non raro magnanimos dedit Heroas, quos ſtupendo robore ad res cómuni hominû ſorte longè ſuperiores & aggrediendas & peragendas inſtruxit: quâ de re tum alii ſacrarû literarû libri, tum inprimis Iſraeliticorum Judicum hiſtoria nó pauca exépla ſuppeditat, inter quę eminet invictiſſimus GIDEON, quem ipſe Dei Filius, *fortiſſimum bellatorem* appellavit. Is enim, ut monumenta ſacra commemorant, cum non niſi trecentos ſecum haberet milites, eosq; nullâ niſi tubis & teſtulis, quibus ignis incluſus fuit, inſtructos, maximum omnibusq; aliis formidabilem Midianitarû exercitum aggreſſus eſt, eidemq; tubarum ſonitu, colliſione teſtarum, ac lucis fulgore, tantum incuſſit pavorem, ut fugientes permutua vulnera, tanquam Cadmæi fratres, caderent: quâ ratione Eccleſia

Iſraeli-

Israelitica ex eorum manibus liberata fuit. De hoc Heroe, glorioſiſſimâ victoriâ, quam ab hoſtibus Eccleſia retulit, in ſacris literis claro cras horâ octavâ in Auditorio novo verba facere conſtitutum habet *Magnificus Academiæ Rector*, *Vir plurimum Reverendus, Clariſſimus & Excellentiſſimus* DN. JOHANNES-GEORGIUS DORSCHEUS, *SS. Theolog. Doct. & Profeſſor celebratiſſimus, amicus, Collega, Compater & in Chriſto Frater noſter omni amoris & honoris cultu nobis proſequendus.* Cum enim aliis temporibus de aliis Spiritûs Sancti donis, quibus Eccleſia cumulat, ſolemnib9 ſermonibus actum ſit, placuit ipſi, ob cauſas cuivis facile obvias, hoc deligere argumentum, in quo oratione ſuâ verſaretur, ad quam audiendam cum minimè dubitem vos & pietatis amore, & argumenti jucunditate, & oratoris partim facundiâ, partim dignitate adductos, frequenter comparitutos eſſe, operosâ exhortatione prudens abſtineo. Valete PP. Argentorati 27. Maii. A. M. DC XXXL

DISSER-

DISSERTATIO V.

De hierachicis Sp. S. Motib⁹, quib⁹ ad liberationẽ pressæ & Calamitosæ Reipubl, summos Viros excitat, exempl. GIDEONIS.

POstquam se semel orbi universo Deum præfecit Romanæ sedis præsul, Spectabiles Collegiorum Academicorum Decani, plurimum Reverendi Theologi, Amplissimi JCti, Experientissimi Medici, Excellentissimi Philologi, & Philosophi, Doctores & Professores Academici honoratiss. Collegæ, Patroni, fautores maximè colendi, vosq; cæteri, quos amor sancti Spiritus in hunc cœtum coegit, Amplissimi, Venerandi, Nobilissimi, florentissimi Auditores, & alterum se Christum inter mortales supremum, Christianorum Monarcham, infallibilem & su-

Bzov. de P.R.

pra

pra omne orbis judicium positum, Doctorem orbis, conditorem dogmatum, arbitrum orbis, judicem cœli, fontem sacerdotii indeficientem esse voluit, postquam se Dominum DEUM Papam salutari non abnuit, tantùm non etiam se cum Patre & filio Spirare spiritum sanctum edixit. Ita sanè S. DEI Spiritum tribunali suo adstrinxit, ut cum alibi magna divinaq; libertate sceleratorum consortiis excedere possit, in Pontificis maximi etiam inquinatissimo corde hæreat immutabilis. Ut enim est unum idemq; Dominium DEI & Papæ, si Aug. Triumpho Anconitano credimus, ut est Rex Regum & Dominus Dominantium, ut sibi ceu conditori Canonis omnem creaturam, cœlites, terricolas, inferos subjicit, ut in superos & inferos sibi vendicat imperium, ut in utrosq; existi-

T. 3. Jur. Can. ed. Lugd. p. 168. q. 45. n. 39. R. Cu pers p. 43. Dunæ deAntich. p. 264. Mich. Risius apud Bzov. de P. R. Aug. Tr. q. 18. art. 3. Ferdin. ab Inciso apud Pet. Ciezam. T. 2. hist. Peruan. c. 69.

mat

mat se posse vibrare ex communicationis fulmen, ita tam prope abest à fastigio Spiritus Sancti, ut in ejus manu sint animæ hominum & in ejus arbitrio religio consistat, ut cœleste arbitriũ & infallibile indefectibileq; judicium habeat, ut sit fidei & religionis regula certissima, ut sit Spiritus Sancti possessor optimus Maximus. Et ut plenè se comparet antecessori suo Christo Papa, etiam Spiritus S. in imagine columbina sibi factum nutum vendicat. Producam jam inter cæteros summam nequitiæ.

T. 2. Ap. par. p. 17. Pontificiæ Gregorium Hildebrandũ. De éo ex Leone Ostiensi Cardinale (in quo Possevinus eruditionẽ Theologicam & diligentiam desiderat) ita Annalium Conditor Baronius scribit. Factum est, cum Papa Gregorius Missarum solemnia celebraret, ut vir quidam Joannes nomine juxta altaris crepidinẽ perstiterit. Cumq; in altare deflexisset obtutus, subitò

in

in ecstasin raptus, niveo candore columbam, cujus erat aureum guttur, supra eandem aram altare conspexit. Quæ inde leviter advolans & supra dextrum Pontificis humerum recubans, alis protinus expansis utrumq; protexit, ac tamdiu sic perstitit, quousq; commixtio dominici corporis ac sanguinis in calice fieret. Iterumq; se in dextrum humerum colligens, inde ad altare descendit, caput blandè super hostiam flectens, viro illo, quid hæc sibi vellent, non intelligente, cum volatu præpeti, pleno rostro remeavit ad cœlum. Post hæc homo ille in se rediens, nulla penitus hujus rei vestigia memoria tenuit. Nocte vero subsecuta cum se sopori dedisset, vir quidam illustrior sole, minaci vultu in medio suę domus hospitio eidem apparuit. Quo ille viso, de strato exiliens, terrore correptꝰ fugam tentat arripere. Vir autē ille porrecta manu

conti-

continuit brachium ejus ſvaviter tenens. Cum autem ejus manus nequiret effugere, ac ſi vinctus ſtetit invitus : ad ejus mox auxilium quidam nivea Canitie adſperſus, indutusq; ſtola Candida affuit, ejusq; moerorem conſolans, de manu ſe tenentis eripuit. Quem ille, quisnam hic eſſet tantę claritatis vir, quæſivit intrepidus. Hic inquit, eſt juſtitię ſol, Et ille, nomen quoq;, ait, tuum inquirenti ſimiliter pande Nequaquam, ait ille, ſcire te oportet nomen meum, ſed mihi ad interrogata reſponde. Putasne recolis, quid heri, dum in Eccleſia adſtares, vidiſti? Ille, cujus animum occuparat oblivio, cœpit intra ſe volvere, quidnam eſſet, quod ab eo ſenior quæreret, ſubitoq; reminiſcens cuncta ſibi quę viderat, ex ordine retulit. Et ille; vade, inquit, celeriter, & hoc ipſum auribus Papæ intimato, ut conſtanter vigore S. Spiritus quod cœpit, exequatur.

quatur. His dictis ab oculis ejus elabitur. Hæc ex Leone Baronius. Tribuerat sibi Gregorius Pontifex non solum immensam & nulli contradictioni objiciendam potestatem in rebus sacris definiendis, sed etiam omnia orbis terreni regna ita sibi arrogabat, ut absoluta libertate Reges deponere, vincula fidei solvere, subditos in alienum imperiũ transscribere & pro libitu suo herciscere terminos imperiorum ausus fuit. Hoc consilio Henricum tertium Romanorum Regem è gremio Ecclesiæ & imperii sacrosancti throno diris immanibus dejecit. Et jam in eo totus erat, ut fulmen brutum in Imperatorem jactum reliquorum procerum cervicibus etiam injiceret. Cumq; sententiam parricidalem habito Romæ Cardinalium consilio firmasset, excessit urbe, & in Cassinense cœnobium profectus est. Ibi irradiante & & sublimia quæq; designante columba,

lumba, ſancti ſc. Spiritus indice, conſpicuus, poſtea Salernum abit, & moritur ſedis ſuæ dedecus & Antichriſtianiſmi mancipium. Quis verò ferat hanc ſuperbiam in vertiginoſo capite, aut credat Gregorium Hildebrandum illo Spiritus S. Veſtimento in ipſo ſacrario orbi cõmendatũ, aut ejus truculenta Conſilia hoc cœleſti & miraculo & oraculo laudata fuiſſe? Fuit in articulo mortis poſit9 ambitioſ9 Pontifex, & fatali termino cœleſti tribunali ſiſtendus brevi, & monetur à Spiritu Sancto, ut perſequeretur ſanguinaria contra Imperii Majeſtatem decreta? Caſſini deliteſcebat aliquandiu, poſt Salerni dedicationi templi ſuperbam locat operam & moritur, attamen inter hæc extrema ſub columbino habitu Spiritum Sanctum ad ſevera fulmina concitatorem habuit. Omendaciũ! Quis ignorat, Hildebrandum ſeculi illius monſtrum & Antichriſtianiſmi

ſumma-

summatem & in Henricum improbè & in Ecclesiam impie & in Deum scelerate egisse, summorum illius ætatis virorum judicio. Benno Cardinalis, quem parum abest, quin Bellarminus dicat à Lutherano suppositicium esse, dicat, quem Baronius omnibus aculeis calumniæ pungit, cujus nomine in Apparatu sacro Possevinus pudendum præjudiciũ præscripsit, Benno inquam ille in Hildebrandina vitâ omnium ferè flagitiorum illum Pontificem reum facit. Lanfrancus Cantuariensis Archiepiscopus fatetur, Henricum, quæ tyrannidi Papæ opposuit consilia, nec *in* sine magna ratione, nec sine magno *epist.* DEI auxilio suscepisse. Rudolfus *apud* Dux, quem fallacibus irritamentis *Ba-* Henrico opposuit Papa, cum vulnę *ron. T.* letiferum in dextra accepisset, fate- *11. A.* tur, se luere perjurii illius pœnam, *1080.* ad quod eum Papæ autoritas sive fu- *n. 27.*

Helmold. Chron. Slav. c. 29. Albert. Stad. A. 1080.

ror adegerat. Venericus Vercellensis in doctissimo suo de unitate Ecclesiæ scripto, quo Henrici innocentiam & Gregorii fastum monstrat, conqueritur graviter, Hildebrandum se plurimorum Christianorum mortibus miscuisse, per universum imperium Romanum atrocissima bella succendisse, & contra jus divinum avitum regnum Henrico Imperatori eripere voluisse. Conradus Trajectensis Episcopus ita contra Gregorii facinus loquitur. Hildebrandus in præceps abivit, cum potestatem immortalis Dei, cujus nuntius duntaxat est, sibi usurpavit: male consuluisset humanis rebus suprema illa majestas, si ita gladium in manum mortalis cujus quam traderet. Walthramus Magdeburgensis Antistes ita contra Gregorium pronunciat. Rodolfus, Hildebrandus, Eggebertus & innumeri Principes D. E. ordinationi in Henrico resistunt &

Aventin. lib. 5.

Dodeching in app. Mar. Scoti.

ecce quasi non fuerint, perierunt: quia profecto necesse est malum fuisse principium, quorum finis pessimus subsecutus est. Virdunensis Episcopus ad Concilium Wormatiense sic de Hildebrando scribit. Hildebrandus, qui dicitur caput, jam est cauda Ecclesiæ, qui dicitur fundamentum, jam detrimentum est Ecclesiæ, hic dispergit, qui dicebatur congregare, hic odit, qui dicebatur diligere, jam usq; ad omnimodam hæresin infirmat, qui dicebatur Ecclesiam sanctam confirmare. O inaudita arrogantia hominis supra omnē Ecclesiam in se gloriantis, supra omnem malitiam male agentis, unitatem Ecclesiæ scindentis, quod inauditum est, regnum & regem Catholicum destruere præsumentis, impios justificantis, pios injustissimè damnantis, decreta Patrum pervertentis, regem adulterinum extollentis, Regem liberum & legiti-

Gol. dist. T. 1. Const. Imp.

mum etiam cum memoria nominis regii extinguere meditantis, perjuria fidelitatem dicit, fidem sacrilegium
Tr. Const. Imper. facit, &c. Trevirensis Episcopus in literis ad idem Concilium notat Hildebrandum, ceu invasorem sedis Apostolicæ, elatum inaudita elatione, profanis novitatibus studentem, amplo nomine delectatum, non habentem characterem Christiani, fontem dissensionis, caput schismatis, belli significatum. Nihil certè, inquit, ita est impium & nefarium, nihil ita detestabile & execrabile, quod ipse curet, dum alios contra Regem armet, dum alios ad bellum, quod ipse
Avent. lib. 5. omnibus intendit, excitet &c. PAULUS Bernritensis, qui duobus libris vitam Gregorii complexus est & rebus ipsius studuit, reprehendit tamé in eo, pervicaciam & temerarium contra sacratissimum Imperat. impetum, Pontifice indignum. Autor
apud Vitekindum in hist. Sax. vitæ Henrici Imperatoris Anonymus,

mus, qui quamvis Imperatorem à summarum virtutum concursu laudet, nec Apostolicum, ita appellat Pontificem, accusare velit, non dissimulat tamen, factum Gregorii contra Henricum multis illa ætate summis viris displicuisse, qui, ut loquitur, asserebant, tam inefficaciter, quã illicitè factum esse, quod factum est: nec illud celat, Gregorium excitasse Rudolfum Sveviæ ducem, ut fidem incerto postponeret honori, & avaritia victus supplantator Domini sui fieret: Sed & illud indicat, iteratum contra Henricum anathematis fulmen non magni ponderis habitum, eò quod non rationis, sed arbitrii, non amoris, sed odii esse videretur: insuper & istud addit, Gregorium sedem Rom. olim abjuratam insedisse, quam idcirco abjuraverit, quia ad eam, dum Archidiaconus esset, adhuc vivente domino suo per ambitionem aspirare voluerit, tum fa-

mam fuisse. Demum refert, in expugnatione Romæ fugisse Apostolicum & qui omnes in periculum impulerat, omnes in periculo deseruisse. Sigebertus Gemblacensis, vir spectatæ doctrinæ, ut Platina censet, de jectionem Henrici & solutionem fidelitatis, quam Gregorius sanxerat, hæresin, & ipsum Hildebrandum falsum Prophetam nominat. Leodiensis Ecclesiæ clerus, in sanctissima gravissimaq; epistola ad Paschalem, quam Claudius Espencæus Parisiensis Theologus querimoniam gravitatis & subjectionis plenam vocat, Romam sub Gregorio & Paschali Babylonem appellat, Hildebrandū verò perjurum, schismaticum, sciissorem regni & sacerdotii, contemtorem sanctorum Patrum nominat, qui novelli schismatis autor primus lanceam sacerdotalem contra diadema regni levavit. Leo Hostiensis Cardinalis, quamvis Gregorio addictissi-

in Paschal. II.

In Cent. II.

Magdeb. & Tom. de Jurisd. Imper. R. Schar. dii. Esp. 1. ad Tim.

digress. l. 2. c. 6.

ctissimo, eundem tamen Hildebrandum elatione turgidum vocat, qui Imperatorem triduò discalceatum ante curiam suam non sine probro stare voluerit & pactâ concordia demum Germaniam ad rebellionem contra eum sollicitaverit. Petrus Damiani Episcopus Ostiensis, deinde Cardinalis, tandemq; abjecta purpura Monachus, in Epistola, posteaquam libere suum de gestis Hildebrandi judicium exposuisset, eundem Satanam vocat. Lambertus Schafnaburgensis, defensor Hildebrandi, non tamen dissimulat, Gregorium hunc cum Mathilda comitissa non solum vivente ad huc marito consuevisse familiarius, autoremq; fuisse, ut maritus in Lotharingiam, ditionum suarum constituendarum specie, relicta in Italia conjuge, proficisceretur: verum etiam Mathildam post mariti obitum Gregorii lateri indivisam comitem ad l. 3. c. 24 & 48. & 49 & 65.

hæsisse, hincq; Papam incesti amoris suspicionem evadere non potuisse, passim jactantibus Regis fautoribus, præsertim Clericis, quibꝰ contra scita Canonum contracta conjugia prohibebat, quod die ac nocte impudenter Papa in ejus volutaretur amplexibus, & illa furtivis amoribus Papæ præoccupata post amissum coniugem ultra secundas nuptias detrectaret. Car. SIGONIUS refert quod Mathildæ suæ etiam in Conciliis sedem concesserit Hildebrandus, venerea rabie excoecatus. Ipse HENRICUS Imperator in Epistola ad Hildebrandum ita scribit. Cum hactenus ex te ea quæ sunt Patris expectarem, tibiq; in omnibus magna fidelium nostrorum indignatione obœdirem, recepi à Te vicissitudinem, qualem oportebat ab eo, qui vitæ regniq; nostri pernicioſissimus hostis esset. Nam cum primum omnem hæreditariam dignitatem, quæ mihi

de reg. Ital. l. 9. Append. ad Vvitechind. p. 77. Conferatur p. 75.

ab

ab illa sede Apostolica debebatur, superbo ausu rapuisses, longius inde progrediens regnum Italiæ pessimis artibus alienare tentasti. Neq; hoc contentus in reverendissimos Episcopos, qui nobis velut dulcissima membra uniti sunt, manum mittere non timuisti, eosq; superbissimis injuriis, acerbissimisq; contumeliis contra divina & humana jura, ut ipsi ajunt, exagitasti. Quæ omnia cum ego patientia quadam dissimularem, tu hoc non patientiam, sed ignaviam existimans, in ipsum caput insurgere ausus es, mandans quæ nosti, scilicet, ut tuis verbis utar, quod aut tu morieris, aut mihi animam regnumque tolleres. Nec solum privatorum singulorum ejusmodi de Hildebrando est sententia, sed & Conciliorum, Anno 1075. Wormatiam convenerunt Italiæ, Galliæ, Germaniæq; Episcopi, Româ eo profectus est Hugo Card. *Urspergens. in chron.*

cum Cardinalium & Procerum Romanorum literis, quibus Gregorius perjurii, ambitus, avaritiæ & superbiæ postulatus est. Sententia dejectionis à sede Romana contra Hildebrandum concordibo suffragiis promulgatur, ratio sententiæ ad Gregorium est, quia Ecclesia DEI tam gravi tempestate novitatum tuarum periclitatur. Decreta Wormatiensis Synodi à Ticinensi & Papiensi concilio roborantur & firmantur. Et notatu dignissimum est Rulandi sacerdotis Parmensis facinus. Ille literas Imperatoris & Concilii decretum deferens, ædem sacram ingreditur & absq; omni salutationis honore, Tibi (ad Hildebrandum inquit) Cæsar noster Christianissimus, sanctissimi Italiæ, Galliæ, Germaniæ Episcopi, sacer orbis Christianus præcipiunt, ut te munere, quod astu, pecunia, gratia occupasti, confestim abdices. Nec enim fas est, invitis illis, te adversus

Avent. lib. 5. p. 570.

versus autoritatē Imperatoris, contra Christianæ Ecclesiæ decretum, ovili DEI ultra incubare. Deinde ad cæteros versus, pientissimi, inquit fratres, pastorem jure vestro deligite, deinde sacratissimus consul, tribunus & Princeps vester more majorum autor fiet. Iste enim Hildebrandus neq; Pastor, neq; Pater, neq; Pontifex, fur est, lupus, latro, atq; tyrannus. Anno 1079. in Moguntiaceno Concilio quinquagenalibus habito ab Episcopis Italiæ, Galliæ & Germaniæ Hildebrandi dejectio repetitur. Anno 1080. in Brixiensi Synodo Calend. Juliis habita Episcoporum præsentium hoc erat contra Hildebrandum decretum. Nos autore DEO congregati in unum, legatis ac literis freti Episcoporum in die S. Pentecostes congregatorum, contra eundem Gregorium procacissimum, sacrilegia ac incendia prædicantem, perjuria & homicidia defen-

Huldr. Mutio in Chron Germ. lib. 25.

fendentem, Catholicam & Apostolicam fidem de corpore & sanguine Domini in quæstione ponentem, hæretici Berengarii antiquum discipulum, divinationum & somniorum cultorem manifestum, necromanticum, Pythonico spiritu laborantem & idcirco à verâ fide exorbitantem pronunciamus. Paulo post in Concilio Moguntino rursum Gregorius regni traditor & Ecclesiasticæ pacis perturbator nominatur, Denuo A. 1089. in Synodo Romana, in qua plurimi Cardinales, Episcopi, & Prælati cum Proceribus Romanis comparuerunt, hæc verba inter cætera contra Gregorium & ejus patronos sonuerunt. In medio Ecclesiæ, in conspectu angelorum hominum, incendio tradimus decreta eorum hæretica, quib9 orbem terræ perverterunt, verbum DEI adulterantes sub mentito colore pietatis, quærentes plus se, quam fidem

Albert. Stadensis.

dem Catholicam amari, qui per sedecim annos nullum dederunt locum veritati, fugientes lucem examinationis, tenebris erroris assueti, falsis expositionibus intorquentes scripturas in adjumentum nefandissimi schismatis. Tandem Moguntiæ tempore Urbani sec. convocata Synodus Hildebrandi sectam pietati Christianæ repugnantem explosit, exibilavit: quatuordecim Episcopos ei adhærentes crimine perduellionis, perjurii, perfidiæ, parricidii condemnavit. Imo Gregorius Hildebrandus in ipso mortis discrimine suammet damnavit sententiam. Audiamꝰ Sigebertum Gemblacensem. Hildebrandus Papa, qui & Gregoriꝰ VII. apud Salernũ exulans moritur. De hoc ita scriptum reperi. Volumꝰ vos scire, qui Ecclesiasticæ curæ solliciti estis, quod Dominus Apostolicus Hildebrandus in extremis positus ad se vocavit unum de duodecim

cim Cardinalibus, quem multum diligebat præ cæteris & confessu est Deo & S. Petro & toti Ecclesiæ, se valde peccasse in pastorali cura, quę ei ad regendum commissa erat, & suadente Diabolo contra humanum genus, iram & odium concitasse. Tunc demum misit prædictum Confessorem ad Imperatorem & ad totam Ecclesiam, ut optaret illi indulgentiam, quia finem vitæ suæ adspiciebat, & tam citò induebat se angelicâ veste, & dimisit ac dissolvit vincula omnium bannorum suorum Imperatori & omni populo Christiano, vivis & defunctis, Clericis & Laicis, & jussit suos abire de domo Deoderici &c. Nec unus hæc Sigebertus tradidit: Referunt idem Florentius Wigornienſis, Vincentius Belluacenſis, Matthæus Paris. Cuspinianus refert, se in antiquissimis annalibus id reperisse. Intelligitis, opinor, Auditores honorandi, fabulam esse,

esse, quod *Leo* Marsicanus, Ostiensis Cardinalis recensuit, Spiritum Sanctum sub columbino habitu & anonymum quendam è solis fulgore monitorem confirmasse Hildebrandum in consiliis monarchiæ Pontificiæ stabiliendæ, & subvertendo imperio Romano. Quomodo enim sanctissimus DEI Spiritus consiliorum truculentissimorum autor est, quæ tot clarorum virorum conatibus improbata, tot synodorum sententiis damnata, infaustis eventibus reprehensa, Procerum imperii consensu rejecta, sanctis priscæ Ecclesiæ fundatoribus ignota, schismatica, hæretica, blasphema, Satanica sunt? Unde impudentia impudentiores sunt Omnipotentiæ Pontificiæ defensores, Triumphus, Carerius, Baronius, Bellarminus, qui hoc columbæ schema, quod Spiritus Sancti esse dixit Ostiensis, ostendunt horridis & tyrannicis consiliis, ad majestatem Romanæ sedis conditis.

Mirabimini verò, Auditores Optimi, quid ego rhetorum monitis immoriger tanto exordio moliar? Volui illustri exemplo in Hildebrando, in quo Antichristianismi monstrum horridius apparuit, ostendere, Rempubl. illam Romanæ omnipotentiæ, Hildebrandinis fraudibus ortam, fultam, non habere Spiritus Sancti sive originem, sive propaginem, sive firmamentũ, utut columbas omnes convocent, utut aquilinis se alis tueantur, utut cicadas ex abysso catervatim cieant, qui illam propugnare sanguinario impetu conantur. Hildebrandinæ enim sunt columbæ, omnis impietatis & sceleris patronæ, quas hic conspicimus. Sed jam sacrosancto è Codice Instrumenti V. exemplo, summi HEROIS GIDEONIS differam, de Hierarchicis Spiritus Sancti motibus, quibus ad liberationem pressæ & calamitosæ Reipubl. summos Viros excitat, ut sacrosan-

crosanctæ Domini JESU Sponsæ, peregrinaturæ ad sempiternas nuptias hospitium servet. Debuissem fortassis de illis cœlestibus Spiritus Sancti motibus dicere potius, quibus corda nostra tentat, purgat, & ad priscæ divinæq; imaginis claritudinem perducit, quibus nos cum DEO unit & æterno fœdere beatissimorum bonorum fructui nos sociat, quibus pulcherrimam cœlestis in terris societatis compagem moderatur & ad peternem felicitatem temperat. Sed si temporum nostrorum formam inspicimus, quibus grande subinde patientiæ damus, & postquam ultimum in libertate videmus, fastigium etiam servitutis, sed nondum ultimum, conspicimus, quibus magna severitate veterum legum majestas convellitur & per inquisitiones omne de bono publico consultandi commercium adimitur, quibus memoriam ipsam cum voce perdidissemus,

semus, si tam in nostra potestate fuisset obliviſci, quàm tacere, quibus conscientiarum soli DEO subditum tribunal magna temeritate humanis de DEO imperiis subjicitur & adignoratas Apostolis fabulas cum pietatis affectu credendum adigitur, quibus undecunq; Respublica quatitur, & succulenta quondam civitatum corpora cadaverosa fiunt, solatium nobis erit, si considerabimus, sanctum Reip. corpus, sub densis calamitatibus fatigatum, Spiritui etiam Sancto curæ esse, eundemq; varia subinde ratione magnos viros armasse in patrocinium libertatis restaurandæ. Atq; utinam animadverterent tandem, qui summæ rerum præsunt, Spiritum Sanctum etiam Reipubl. Christianæ autorem, conservatorem, restauratorem esse, ejus divinis motibus illam à prisca sive majestate, sive libertate lapsam ad veterem formam restitui, aut melio-

ri com-

ri commutari, ejus impulsibus calamitatibus pressam erigi, ejus manu corda tractari formariq;, è quibus exurgit ille Spiritus, qui pro DEO & Republica pugnat. Profectò majorem cum DEO necessitudinem, cum Sancto DEI Spiritu connexionem, in cœlestibus bonis sectandis alacritatem, contra vitia severitatem præ se ferrent. Nunc cum mundi transiturus fulgor ad secretissima vitia sollicitet proceres & capita publicæ rei, & universa salus imperii æstimatur ex fallacibus prudentum consiliis, quibus Spiritum vertiginis admiscere novit DEUS, fere nemo apparet, quem Spiritus S. ad liberandam Remp. occupare possit. Meditabimur igitur vestigia Spiritus S. eodem duce, quæ observare solet in motibus illis hierarchicis & sublimibus, quos pro cura Reipubl. dispensat. Vos pleni S. Spiritus amore Auditores benigni estote interpretes favetesq; judices.

Quan-

Quando vestigia in communicandis hierarchicis motibus, quos pro liberanda Rep. pressa magnis viris indit Spiritus S. attendimus, observamus in ipso aditu Spiritum S. ad gravissimas persecutiones conniventem. Fecerunt, inquit sacer historicus, filii Israel malum in conspectu domini, qui tradidit illos in manu Madian septem annis, & invaluit manus Madian contra Israel, feceruntq; sibi antra & speluncas in montibus & munitissima ad repugnandum loca. Cumq; sevisset Israel, adscendebat Madian & Amalec, cæteriq; orientalium nationum, & apud eos figentes tentoria vastabant proventum terræ usq; ad introitum Gazæ, nihilq; omnino ad vitam pertinens relinquebant in Israel, non oves, non boves, non asinos. Ipsi enim & universi greges eorum veniebant cum tabernaculis suis, & instar multitudinis locustarum universa complebant,

bant, innumera multitudo hominum & camelorum, & venerunt in terram ad vastandum eam. Attenuatusq; est Israel valde in conspectu Madian. Erat populus Israel sanctissimo DEI consilio magna fœcunditate è lumbis Abrahæ eductus & intra quatuor seculorum decursum arenam maris æquabat: erat admirandis documentis & vix fidem invenientibus apud posteros facinoribus à Divinis planè Viris de DEO uno, summo, infinito, perfectissimo, omnibus præsente, omnia sciente moderanteq; inæstimabili sapientia, edoctus: ibat per creberrima monumenta sanctissimi numinis è claustris ferocientis Ægypti, mare sistebatur & per ambages ambitum præbebat: superabat Cananæos incolas divina vi, cladibus immanibus: figebat sedem tranquillam tandem in feraciissimis campis & lacte mustoq; fudantibus. Hac felicitate fatur lasci-

vire

vire contra DEUM & Sanctissimum cultum cum damnatis idolorum inanissimorum amplexib9 commutare non erubescebat. Secundis reb9 dæmonibus & creaturis, adversis DEO servire solitus. Incanduit contra hæc scelerum vindex DEI Spiritus, & qui maximorum miraculorũ claritudine honoraverat ante populum, atq; firmissimo quodam terrore communiverat, tanta repagula rollit, infamemq; ac contemtum facit rebellem sibi populum. Hinc Madianitæ, Amalecitæ, & reliqua Orientis agmina sese effuderunt in campos Cananæos, & crudelibus exemplis S. Sp. iram docuerunt. Duxerunt Madianitæ primordia sua à Madiano Abrahæ ex Cetura filio: Amalecitæ ab Amalecho Esavi ex Eliphaze & Thamna concubina nepote. Madianitis & Amalecitis conjunxerunt Idumæorum, Ammonitarum, Moabitarum & reliquorum phalan-

phalanges. Itaq; pleriq; illi populi ad Abrahamum caput conditoremque tot familiarum cum Judæis genus suum retulerunt. Cessit veneratio cognati sanguinis, & honor stirpis nobilissimę tyrannidi, & populi jam DEO contrarii DEI populum oppugnare conati fuerunt, etsi sanguinis conjūctio horrorem incutere debuisset. Porrò validissima manu non tantum irruperunt in penitissima Canaanis propugnacula eaq; subverterunt, sed divina etiam fertilissimæ terræ munera. cum jam in horrea & vasa Israelitarum deducenda essent, eripuerunt truculenta rabie, spemq; totius anni insperata occupatione eluserunt. Erat ipsis perpetuus miles, qui omnia accuratè observabat, & ubi se ad rapinam opima præda ostenderet, inhiabat. Sed & exactionibus immodicis nervum rerum gerēdarum miserrimo populo præscindebant. Urbes nobilissimæ ferro

subver-

subverſæ, aut igni traditæ. Nullibi ſine periculo morari fere licuit anxiis ad memoriam inopinatarum inſidiarum hominibus. Hinc abrupta montium & cavernas in rupibus & anguſtias ſaucesq; horridas in ſolitudinibus petierunt dubii ſalutis & tumultuario opere contra vim muniverunt. Sed & religionis inter illa pericula reſuſcitatus amor liberam neutiquam flammam habebat. Erat juxta ſanctiſſimas ceremonias, quas in Sina monte DEUS præceperat, Baali ſuus concedendus honor, nec alia conditione divinę religioni pax dabatur, niſi ut Baali ſuus lucus, ſua ara, ſuus nidor conſtaret, juxta quem paulatim DEI placita eradicarentur. En cumulum calamitatum! irruptiones, cædes, vaſtationes, ſubverſiones urbium, annonæ ſubtractionem, nervorum interciſionem, conſcientiarum ſervitutem. Ita populus tot miraculis inclitus, tot gentium victor,

victor, tantarum divitiarum Dominus, tenuis & exhaustus innumeris stragibus sua fata numerabat. Sed ipse Sanctus DEI Spiritus cunctator hic est, & velut eminus ad tantam immanitatem connivet. Eadem facies est aliquoties visa in illis regnis rebusq; publicis, in quibus DEUS aliquandiu Ecclesiæ suæ hospitium fecit. Nolo jam vetera exempla accersere & vos à præsentium sensu ad priscas clades revocare. Nemo vestrum, ut opinor, est, qui non in Rep. Israelitica Germaniæ, qua parte professa est purum DEI cultum, observet imaginem. Fuit profecto maximis miraculis Germania in eum statum posita, ut alicubi sincerus DEI cultus floreret, toleraretur. Maximis victoriis concussi aliquandiu pii, postquam diu victi fuissent, victores eventis manifestissimis evaserunt. Ettam veteris captivitatis sensus & sanctissimus DEI in illis adfectus ad-

huc in memoria capaciſſima hærebat. Poſtea Baalitiſmus aut accipiebatur ut amabatur ab illis, quorum majores tanta contentione contra illa portenta dimicarunt. Priſcis votis inerat comprecatio odii vehementiſſimi contra Baalitiſmum. Sequior ætas ut à votis ſic & ab odio receſſit, imo frequentes à religione prolapſus experta eſt. Reliqua peccata orbis novit, quę magna impunitatis fiducia à summis, mediis, infimis cõmittebantur. Fecit profecto, ſi unquam regio, Germania Malum in conſpectu Domini. Eccleſia erat ingeniorum laſcivientium ſcopus, Reſpubl. hominum ſuis libidinibus mancipatorum miniſtra. Incanduit ergo Sanctus DEI Spiritus & qui immenſis beneficiis decoraverat Germaniam & univerſis Orbis regionibus ſuperiorem fecerat incontaminatorum myſteriorum luce, tantum ſui contemtum ſeveriſſima in-

ma indignatione ultus est. Hinc priscæ venerationis majestas prostituta, patuit alienigenatum libidini. Madianitæ & Amalecitæ & Abrahamigenarum familiæ ex Oriente numerosissimæ suos consanguineos pessimis nocumentis pessundederunt. Nos in Germania infestiores hostes nullos habemus ipsis Germanis. Qui propugnacula Germaniæ validissima occupant ut subvertant, qui annonæ gravem faciunt proventum, qui granaria & æraria nostra exhauriunt, qui numeroso nos milite depascunt & insidiis contumacibus antiqua privilegia adoriuntur, qui exactionibus immodicis nos ad incitas redigere satagunt, qui præclarissimas urbes cinere coronant & sanguine colorant, qui nos DEO sine metu servire non sinunt, sed immania vincula e Capitolii antiquis spoliis aut triumphis conscientiis nostris intentant, plerumq; Germani

sunt, vetustissimo sanguinis glutine nobis sociati. Quos ita cœcavit amor tyrannidis, ut sanguinis sui immemores, verè se Germanos jactitent, cum plurimum nostri sanguinis absorbuerunt. Adde quod quam plurimi sint Madianitæ & Amaleciteæ, inter eos, qui Baalitismum professionis titulo excluserunt. Hi sunt validissimi libertatis nostræ hostes; & cum fidem DEO violent nescio quod fidei cadaver alii cuipiam offerunt. Sanè raptores orbis, quorum superbiam & perfidiam frustra per obsequium & modestiam effugeris, & terras vastant & maria scrutantur: si locuples hostis est, avari, si pauper ambitiosi, quos neq; occidens, neq; septentrio satiaverit, soli omnium opes atq; inopiam pari affectu concupiscunt, auferre, trucidare, rapere falsis nominibus imperium; atq; ubi solitudinem, aut servitutem faciunt, pacem appellant.

Liberos

Liberos cuiq; ac propinquos suos natura carissimos esse voluit: hi per delectus alibi servituri auferuntur, aut postulantur. Conjuges sororesq; & si hostilem libidinem effugiant, nomine amicorum atque hostium polluuntur. Bona fortunasq; in tributum egerunt, in annonam, frumentum. Nata servituti mancipia semel veneunt, atq; ultrò à dominis aluntur: Germania servitutem suam cotidie emit, cotidie pascit. Ac sicut in familia recētissimꝰ quisq; servorū & conservis ludibrio est, sic in hoc orbis terrarum vetere famulam postquam multa sub libertatis imagine tulimus, plurima sub servitutis auspicio passi fuimus, tandem ubi exhausti sumus, in excidium petimur. Quoties fugæ, exilia, cædesq; publicæ jubentur, toties grates Diis agunntur, quæq; rerum secundarum olim, nunc publicæ cladis fuerunt insignia. Punita etiam fuerunt inge-

nia & clarissimorum virorum monumenta, postquam in ipsos autores sævitum est, flammis ultulanda dedicata sunt. Respublica Christiana & in ea urbes pulcherrimę multum à prisca gloria recesserunt. Circumferamus oculos & judicemus an non usurpare possimus querulas Magni Gregorii voces, quas in communi Italiæ luctu effudit. Ubiq; luctus adspicimus, ubiq; gemitus audimus. Destructæ urbes, eversa sunt castra, depopulati agri, in solitudinem terra redacta est. Nullus in agris incola, pene nullus in urbibus habitator remansit, & tamen ipsę parvæ generis humani reliquiæ ad hoc quotidie & sine cessatione feriuntur, & finem non habent flagella cœlestis justitiæ, quia nec inter flagella correctæ sunt actionis culpæ. Alios in captivitatem duci, alios detruncari, alios interfici videmus. Quid ergo est, quod in hac vita libeat fratres mei? Si &

Baron. T. 8. p. 90.

talem

talem adhuc mundum diligimus, non jam gaudia, sed vulnera amamus. Ipsa autem quæ aliquando mundi domina esse videbatur, qualis remanserit Roma conspicimus. Immensis doloribus multipliciter attrita, desolatione civium, impressione hostium, frequentia ruinarum: ita ut in ea completum esse videamus, quod contra urbem Samariam per prophetam Ezechielem dicitur: Pone ollam, pone inquam & mitte in ea aquam & congere frusta ejus in ea. Et paulo post. Efferbuit coctio ejus, & decocta sunt ossa illius in medio ejus. Atq; iterum, congere ossa, quę igni succendam, consumentur carnes & coquetur universa compositio & ossa tabescent. Pone quoq; eam super prunas vacuam, ut incalescat & liquefiat æs ejus. Tunc enim nobis olla posita est, cum hæc est civitas constituta. Tunc in eam aqua missa est & frustra ejus congesta sunt,

sta sunt, quando ad eam undiq; populi confluebant, qui velut aqua calens actionibus mundi ferveſcerent, & quaſi fruſta carnium in ipſo fervore ſuo liquarentur. De qua bene dicitur, Efferbuit coctio ejus & discocta ſunt oſſa ejus in medio ejus. Quia prio quidem in ea vehementer incaluit actio gloriæ ſecularis, ſed poſtea ipſa gloria cũ ſuis ſequacib⁹ defecit. Per oſſa n. potẽtes ſeculi, per carnes verò populi deſignantur: quia ſicut carnes portãtur oſſibus, ita per potẽtes ſeculi infirmitas regitur populorum. Sedecce jam de illa omnes hujus ſeculi potentes ablati ſunt, oſſa ergò excocta ſunt. Ecce populi defecerunt, carnes ergò liquefactæ ſunt. Dicatur itaq;, congere oſſa, quę igni ſuccendam, conſumentur carnes & coquetur univerſa compoſitio ejus, & oſſa tabeſcent. Ubi n. SENATUS? ubi jam populus? Contabuerunt oſſa, conſumtæ ſunt carnes. Omnes enim ſecularium digni-

tatum ordo extinctus est. Excocta est universa compositio ejus, & tamen ipsos nos paucos, qui remansimus, adhuc quotidie gladii, adhuc quotidie innumeræ tribulationes premunt. Dicatur ergò, pone quoq; eam super prunas vacuam. Quia enim Senatus deest, populus periit, & tamen in paucis, qui sunt, dolores & gemitus quotidie multiplicantur, JAM VACUA ARDET ROMA.

Circumferamus oculos & judicemus, annon hodie etiam imitari possimus gemitus, quas in excidio Constantinopoleos effudit, Isidorus Cardinalis Ruthenus, natione Græcus, Episcopus Sabinensis. Audite omnes gentes, auribus percipite qui habitatis orbem, audite hæc, qui fidelem orbis partem incolitis, ministri, Pastores & Principes omnium Ecclesiarum Christi, universi quoq; Reges & Principes Christicolæ, ac universus Domini populus cum religio-

Bzov. T. 17. annal. p 83.

ligiosis cunctis. Audite & notum sit vobis, quod præcursor veri Antichristi, Turcorum Princeps ac Dominus, servus autem tot dæmonicorú, quot vitiorum, cujus nomen est Mahometh, inimicus crucis Christi, hæreticus & nominis primi illius pseudoprophetę, & lectoris legis spurcissimę Agarenorum, filius Satanæ omnium flagitiosissimus, qui furiis invectus & insania sanguinem Christianorum sine intermissione sitit, nec extingui potest ejus sitis post eorum innumeras cædes, tantoq; odio contra Christum & membra ejus movetur, ut eradere de terra nomen ejus nitatur, & conspecto aliquo Christiano sibi obvio se inde existimet adeo sordidatum, ut oculos abluat suos, immundum se fuisse prius profitens. Hoc igitur tam execrabile & horrendum monstrum, exigentibus demeritis Christianorum, justo DEI judicio in eos grassari & sævire permissum,

sum, civitatem Imperialem, Novam Romam, olim felicissimam, nunc miserrimam & omni calamitate oppressam Constantinopolim diu obsessam cœpit, expugnavit, spoliavit omnibus bonis, & pene delevit. Quis autē dabit capiti meo aquam, oculis meis fontem lacrymarum, ut plorare valeam die & nocte interfectos populi illius & sceleſtissima sacrilegia in captura perpetrata...? Quis hujus horribilitatis memor nō obstupescat, non præ dolore obmutescat? Hic nefandus, nominibus blasphemiæ plenus, civitate recepta, post decapitationem Imperatoris cum omni sua progenie, & nobilitate, plurimos ferreis manicis & compedibus alligatos, & collis eorum funibus cinctis extra urbem deduxit. nobiles, plebeios, mares & fœminas, virtute & conditione præclaros propudiose tractatos multis injuriis affecit. Ubi Turcæ contumeliis

oportu-

oportunas personas velut meretriculas & in lupanari prostitutas trahebant: ac talia & tanta contra eas agebant, quanta de brutis animantibus, & qualia sine rubore proferre minimè aliquis valeat. Adolescentem utriusq; sexus à parentibus segregabant, & divisum de eis pretium negotiabantur. Infantes coram genitoribus suis ut agniculos mactabant, Matres filiis & nati genetricibꝰ privabantur, Germani à fratribus, uxores à viris, nurus à socrubus lugentibus & ululantibus segregabantur, disjuncti consanguinei & amici, in diversis regionibus venditi, servi dicebantur. O quam amaræ lacrymæ, quanta suspiria, quanti singultꝰ inter amicos & notos, quam miserabiles voces emittebantur inter tantas cædes, servitutes, expulsiones & contumelias? Principes, barones & Domini bubulcorum, subulcorum & vilissimorum hominum effecti sunt

sunt mancipia. Pueros infra decennes ad ritus suæ nefanda lectæ compellebant. Heu quo modo ob seruatum est aurum fulgentissimum sapientiæ, per crassissimas tenebras ignorantiæ. aurum dignitatis, per ignobilitatem seruitutis, quomodo mutatus est color optimus Græcę eloquentiæ in barbariem Turcicam? Lapides sanctuarii, si qui erant in fide constantes, dispersi sunt in capite omniũ viarum, jacentes prostrati. De cæteris quę humana sunt taceamus; sed de injuriis, blasphemiis, subsannationibus, contumeliis, opprobiisq; scelestorum erga divina, quę lingua valeat explicare, quis intellectus capere, quę aures patienter audire? Nisi fallor, nunquã horribiliores fuerunt. DEus, venerũt gentes, homines gehennæ destinati, in hæreditatẽ tuam, quę Israel est te videns per fidẽ. Polluerunt templum sanctum tuum, Ecclesiam sanctę Sophiæ cum

aliis

aliis &c. Etsi multa de multis & magnis civitatum excidiis historiographi etiam gentilium referant, nulla tamen desolatio huic exterminio potest adæquari. Nullum incolam intra reliquerunt, non Græcum, non Latinum, non Armenum, non Judæum, urbem ipsam suis civibus nudatam, quasi desertam effecerunt. hæc Isidorus Sabinensis. Circumferamus oculos & judicemus, annon suspiria, quę in Constantinopoleos excidio Georgius Phranza Protovestiarius Imperatoris, ipse calamitatum pars magna, effudit, hoc etiam tempore usurpare possimus. O plena sapientiæ, Christe Rex & ininterpretabilia atqi inscrutabilia judicia tua! Possumus omnino & debemus talibus suspiriis cœlum fatigare & immortalis DEI thronum compellare, & clamare cum Israelitis ad Dominum: quamdiu satis Sanctus DEI Spiritus sese occultet & ex abdito

Phrãza l. 3. c. 17.

abdito conniveat! Obſervaſtis Auditores, Sanctum DEI Spiritum in calamitatum fluctibus graviſſimis cunctatorem & non raro tardiſſimo pede ad cōpellationes ingemiſcentium accurrentem. Obſervate porrò eundem inexhauſtæ ſapientiæ Spiritum ſeſe paulatim manifeſtantem & ex abdito prodeuntem. Dum enim inter onera graviſſima & pericula maxima ſuſpiria miſcent lugubria & perpetuis clamoribus ad Deum ſuam ſervitutem deplorant Iſraelitæ, mittitur occulto S. Spiritus lumine concitatus Vir Propheta. & ad tribus familiasq; circumit, graviſſimisq; monitis fontem mali aperit. Hæc dicit Dominus DEUS Iſrael, ego vos feci conſcendere de Ægypto, & eduxi vos de domo ſervitutis, & liberavi de manu Ægyptiorum & omnium inimicorum, qui affligebant vos, ejeciq; eos ad introitum veſtrum, & tradidi vobis terram eorum

rum & dixit: Ego Dominus Deus vester, ne timeatis Deos Amorrhæorum, in quorum terra habitatis & noluistis audire vocem meam. Prophetam hunc priscæ Ecclesiæ quidá doctores angelum esse censebant. Sed quid opus est virum prophetam in sacris fontibus legere, & angelum intelligere? Anne alicubi in sacrarum literarum thesaurario angelum videmus prophetam nominatum? Hebræorum interpretes judicant Phineen esse propheram, qui autoritate Sancti Spiritus compellaverit Israeliticas familias. Atqui fuit Phineas tempore exitus Israelitarum ex Ægypto ejus ætatis, cui robur convenit virile & animus intrepid? contra scelera. Itaq; saltem triginta annorum fuerit. Lapsi sunt autem ad Gideonem usq; à tempore memorandi egressus fere ducenti anni. Esset igitur Phineas plusquam ducentorum annorum, quando gravissimum

Augusti. q. 31.

in Seder Olam Rabla.

Num. 25.

mum ad familias Israelitas legationis munus ex Sancti Spiritus imperio obibat; quę ætas illis temporibus infrequens fuit. Fuit sanè vir DEO autore graviſſimo muneri præfectus, quamvis de nomine ejus non conſtet, ſitq; potius ad legantis poteſtatem, quam legati ſtatum reſpiciendum. Sanctus ille & divinitus ad id concitatus vir ſingulis familiabus cauſas calamitatum tantarum enumerat & principem eſſe monet, Divinæ vocis contemtum, Fuit hoc felicitatis exordium in Rep. Iſraelitica, quando ex Sancti Spiritus imperio propheta calamitatum fomitem oſtendebat. Felix Reſpubl. Chriſtiana, ſi prophetas audiat Sancti Spiritus nomine compellantes & obœdiat. Cyprianus Carthaginienſis Epiſcopus, ſui ſeculi Eccleſiam, miſeranda ſpecie laceram intuitus, ait: Si Moſen & Aaronem & Samuelem hodie haberet Eccleſia, cum invocarent, ni.

ſerm. de jejunio & tentat. Domi-

carent, exaudirentur: Et orantibus Job & Noe & Daniele, populo parceretur. Rarus hodie Phinees, qui perfodiat impudicos: rarus Moses, qui occidat sacrilegos: rarus Samuel, qui inobœdientes lugeat: rarus Job, qui pro filiorum salute sacrificium offerat: rarus Aaron, qui coram Pharaone comminationes divinas edicat: rarus Noe, qui his, quibus submersio imminet, arcam bitumine litam provideat. Venerunt periculosa tempora, in quibus voluptatum amatores magis, quam DEI, speciem pietatis habentes, virtutem verò abnegantes, inveniuntur præpositi innumerabiles, qui jejunia & orationes nec digito movent, in quorum manibus iniquitates sunt, & muneribus eorum dextra oneratur, frustra ab his miracula quæruntur, frustra contra exilia implorantur, non sunt idonei intercessores, domini contemtores, nec convenienter ad placandum

candum eum accedunt, nec conciliant, quem offendunt. Collocat igitur S. Martyr maximam liberandæ Reip. & Ecclesiæ partem in prophetarum fidem & censet, beatitudini & libertati proximam esse, si contra sceleſtas libidines animosum Phineam, contra frequentissima sacrilegia rigidum Mosen, contra securitatem sollicitum Jobum, contra temeritatem providum Samuelem, contra malefidos proceres cordatum Aaronem, contra tempestates alias pium Noachum in aciem collocet DEUS! Sunt sanè revocandi animi hominum inter calamitates errantium, ad Deum salutis fontem. Est in omni Republ. si occultam ejus gubernationem respicias, aliquid divinio humanoq; intellectu majus. Et rectè Fl. Vopiscus in Aureliano censet, adulatores esse, qui dicunt, tantam esse Principis virtutem, ut opus non sit Deos consuli. Consilia humana,

Xenophon in meo mor.

que

quæ sese à DEO separant, ridet DEUS & per ea perdit. Sicut enim quidam morbi sunt DEI flagella, in quibus medici tortores, non curatores sunt: Sic cũ Deo placet morari pœnarum atrocitatem longius & castigare ad æternæ sapientiæ præscriptum, augetur consiliis humanis clades. Itaq; prospera & tuta Respubl. est, quæ sub infortunii põdere in DEUM convertitur Prophetæ munere, prospera & tuta est resp. quę divinæ vocis contemptu monita prophetæ munere novo ardore ad sanctã obœdientiam accenditur & severitate virtutum compensat causas, quibus malis auspicibus onus in Remp. devolutum est. Neq; enim meretur uti prosperis, quę non corrigitur adversis. Gaudeamus itaq; & nos, & pressæ calamitosæq; Christianæ Reipubl. bene ominemur, cum Sancti Spiritus Prophetas, Phineas, Moses, Jobos, Aarones, Samueles, Noachos audimus

contra

contra vitia perorantes & ad Deum per resipiscentiæ secretum tramitem monstrantes iter. Poterit intendere Opt. Max. Deus Prophetarum suorũ fervorem, poterit addere S. Sp. paré vincẽdis cordib⁹ impetũ & penetrabit corda cœlestis Divinę vocis flamma, semitamq; reversuro cum pace libertateq; Deo parabit. Prophetæ clamabunt, Tu Sancte Spiritus urge, insta, vegeta, vince. Cæterum dum Sanctus Dei Spiritus per Prophetam familiis Israeliticis causas toleratarum calamitatum aperit & se infundit cordibus hominum conturbatorum divinæ severitatis sens⁹, miscetque se tacitè juxta liberantis gratiæ radius, angelus DOMINICUS, imò DOMINUS, GIDEONEM eligit, ducem atq; auspicem futuræ liberationis. Quis sit angelus hìc, venerabile & immenso numini proprium nomen יהוה, quo eum porro colloquium cum Gideone habitum insignit, satis aperit. Nam

ut hoc transferamus in creaturam, utut in magno aliquo opere Dei vicariam, præterquam quod periculosum sit & clarissimis scripturæ pronunciatis aut caliginem offundat, aut incertudinem pariat, amplitudo & majestas nominis non patitur. Frustra igitur sunt & cum pertinacia contendunt, qui ex crearis Spiritibus hic aliquem comparuisse Gideoni conjiciunt. Filius igitur Dei, æternæ, coram facie potestatis angelo Gideonem alloquitur. Gideon, qui & Jerubaal, & Jerubeschethⁿ & Arbelæ tribu Manassæa oriundo patrem habuit Joasum. Hunc idololatria contaminatum quidam existimant, quia Baali lucum consecraverat & Gideon ad eversionem superstitiosi apparatus excitatus patris sui domum, velut vindicem eversionis prætendit: unde noctu ad sancti operis labores se paravit. Alii à crimine idolomanias Joasum liberant.

Vide Serar. in Josuam & Jud.

Arias Montanus & P. Martyr.

Erat

Erat sane suspectus Joasi & Gideonis in Baalem fervor apud cives. Unde cum Baalis ara subversa & lucus succisus conspiceretur, mox facinus Gideoni imputatur. Sed & parens magna prudentia & pietate patrocinatur filio & Baali ipsimet vindicias pro se relinquendas suadet. Adde, quia in illa veræ religionis & carissimæ libertatis horribili jactura sanctum semen sibi servaverat DEI providentia, vero simile esse, Deum ad restaurationem cultus sui non idololatræ, sed cultoris alicujus sui opera usurum fuisse. Et quamquam se magna humilitate Gideon coram angelo excuset, velitq;, suis facultatibus viribusq; rem tanti momenti, quantam præceperat angelus, perficinon posse: vixit tamen in ampla familia, quæ in illa tantorum malorum pernicie numerosos aluit servos, ex quibus decem concredere potuit ardui moliminis eversionem; cum

cum tamen supereſſent mul[illegible] plures, in quorum conſpectu, interdiu audere illud noluit. Eum igitur angelus dominicus, formoſiſſimo anni tempore, quo, frondentib9 vireſcentibusq; omnibus, Madianiticus fiebat impetus, compoſita ad ſolatium voce ita alloquitur: Dominus tecum, virorum fortiſſime; vade in hac fortitudine tua, & liberabis Iſrael de Madianitarum manu; ſcito, quod miſerim te, ego ero tecum & percuties Madian, quaſi unum virum. Gravis videbatur initio Gideoni cœleſtis præceptio; quocirca diverſis argumentis illius ſeſe opponit oneri. At verò poſtquam penetraſſet divinæ vocis ſenſus animum & ſacrificiorũ adductorum admirabilis inflammatio & inopinata diſparitio perculiſſet Gideonem, animadvertit, quanta autoritate tantũ onus ipſi demandatum ſibi habeat. Erat vero in area patris ſui, triturando purgandoq; frumen-

frumento occupatus. Anne, auditores Optimi, sicut Sanctus DEI Spiritus nobis Prophetas excitavit, qui & veterum beneficiorum copiam & ingratissimã eorundem apud plerosq; oblivionem, & contumaciissima contra divina monita corda objicerent, & sepositis vitiis illis sumtaq; vera pietate spem vicinæ liberationis facerent, ita & angelus Dominicus Gideonem aliquem allocutus est, virorum fortissimum, in patria sui area triturantem, h.e. avita jura contra hostes asserentem & regni sui antiquos limites ex detentoris potestate eripientem: anne deduxit eum miraculosa manu in angustias nostras, ut eriperet captivam libertatem è vinculis & religionis publicum cultum tot insidiis, tantis periculis expositum suis juribus assereret? Clamant Prophetæ, non deerunt Gideones. Sancte DEI Spiritus robora corda sancta fortitudine &

prudenti humilitate. Angele Jesu, servator maxime alloquere iterum, atq; iterum, sicut Gideonem & verbis ter repetitis animasti & inflammatione, disparitioneq; admirabili concitasti.

Exinde postquam ab angelo dominico flammis é petra bacillo suscitatis in secretiorem collocutoris sui notitiam perveniisset Gideon, & jam divino oraculo salutis muneris q; sui certus esset, antequam majora moliretur, in patria domo fundamenta sinceræ pietatis ponit. Est hic etiam cœlestis Sancti Spiritus motus, quo ita percellit Gideonem, ut spreta omni adversaria potestate, spretis Madianitis pro Baale furiosè dimicantibus, everterit aram lucumq; Baalis, quibus patrius fundus infeliciter oneratus fuit. Est Baal multorum Deorum, Tyriorum, Sidoniorum & Ammonitarum cognomen. Unde Baalim, id est, Baalibus multis

multis serviſſe dicuntur Hebræi. Omnis ſiquidem DEUS apud illos dicebatur Baal, ſed cum attributo, ut Baalſchamaiim dominus cœli dicebatur illis, qui Græcis Ζεῦς: quem ſoli cœlo dominari cenſuerunt, ut Philo Biblius ex Sanchoniathone refert. Cumq; Cananæi eundem etiam Baalzebaoth, dominum cœleſtis militię dixiſſent, placuit Hebræis, ut per contemtum eundem Baalzebub dominum muſcæ appellarent. Eſt autem ipſe Jupiter Olympius, qui colebatur in inſula Tyri, ubi & ἀσὴρ ἀερόπετης vocabatur. Utq; Jupiter Baalſchamaim dominus cœli, ſic Juno Baalathſchamaim domina cœli. Philo Biblienſis Βααλπιδα vocat & οὐρανην interpretatur. Græcis. ἀφρόδιτη dicitur, Pœnis in Africa Cœleſtis, quę erat πολιοῦχος Karthaginenſium, quam Juno fertur terris magis omnib9 unam poſt-

posita coluisse Samo. Ea Carthagine pingebatur Leoni insidens, dextra fulmen, sinistra sceptrum gerens. Et si origines fabulosæ divinitatis intueamur, idem Deus & Dea est. Colebatur aris, victimis, libis, sertis, statuâ. In lucis & obscuris nemoribus frequens ejus cultus. Sic & in Aphræo vertice montis superstitioso luco, ara, sacrificiis & libamentis celebri & idolo nihil divinitatis figurante, à familia Joasi Baal colebatur. Hanc idolomaniam incredibili contentione propugnaverunt Madianitæ, Orientalesq; cæteri & longè lateq; disseminaverunt. Hujus cultum obtruserunt etiam tribubus Israel, quibusdam sponte in ejꝰ veneration nem prolapsis. Eam Gideon, percitus sacrosancto divini spiritus monitu tollit, adhibitis X. patris sui servis, qui arbores truncarent, idolum cremarent, confringerent aram, munimenta domꝰ propudiosæ & adulteræ

teræ dirueren̄t, facerentq;, ut pulcherrimi auroræ surgentis radii non ultra turpibus inquinamentis offenderentur. Subversis horrendi delubri & impuri nemoris radicibus, erigit tumultuario opere, jussu extra ordinem sancto, altare, in quo gemino tauro super sarmenta lignaq; nemoris succisi combusto Sanctum DEI Spiritum colit & Sinaiticæ religionis novat mysteria. Itaq; fortunatum verè est auspicium redituræ libertatis, cessurarumq; calamitatum è republ. Christiana, si GIDEONES cœlitus adornatos videamus, non solum Baalitismum odisse, ac è cordibus templisq; pepulisse, sed etiam laborasse, ut domus, territoria, regna sua ab omni Baalitismi fœditate secludant separentq;. Sive enim sensu votoq; se quis misceat Baalitismi erroribus, sive eosdem securo cœcoq; tueatur patrocinio, sive se se incautè & sub fallacib⁹ pigmentis uni-

at fœditatis illius cultoribus, semper se contaminat, Sancti Spiritus officinam turbat, libertatem premit, GIDEON esse nequit. Ille verus Gideon est, & libertatis sanctæ assertor certissimus, qui ante conatum gravissimarum vindiciarum & ancipitis pugnæ labores, patriam domum, suum regnum, suum populum liberat à potentibus idolomaniæ vinculis & ad verum Deum traducit, qui stabilit divinę fidei veritatem, & hanc omni vetustate erroris antiquiorem habet, tuetur masculis & DEO probatis consiliis, urget vitæ sacrosanctæ & habitanti in cordibo spiritui responsuræ propositum. Uno verbo. In se Suisq; DEUM, Sanctum Spiritum, gratiam, libertatem, regnum habet.

Tantum autem assertorem Veri DEI, impugnatoremq; Baalis GideonemS. Spiritus novo fervore complet, novis purissimisque motibus perfun-

perfundit, novo armat contra quasvis insidias præsidio. Madianitæ, Amalecitæ, & Orientis tyranni, reliqui, qui jam de victo concussoq; populo Hebræo suo judicio certissimi fuerunt & triumphare posse sibi videbantur, cum vidissent in familia Gideonis nova agitari consilia, veteris & hucusq; ab ipsis proculcatę restaurari sanctimoniam, ejici Baalis sacra, Ephram spernere jugum, quod jam septennium grandi patientiæ documento tolerarunt, mirati simul & irasci vehementius cœperunt. Itaque quicquid præsidiorum hucusq; in diversis Canaanis tractibus ex horreis & ærariis Israelitarum alu erant, quicquid etiam ex vicinis conterminisq; regnis accersere poterãt, universum colligunt, certi secum vetera decreta persequi, tueri Baalem, prorogare exactiones, aut omnia extrema subire, & quicquid apparatus, aurei argenteiq;, in idolo-

lorum fanis erat, impendere, ipsique etiam Æsculapio auream barbam vellicare. Spiritus autem DOMINI, qui jam ante compleverat summis divinitatis fructibus, & infractum adversus maxima quæq; discrimina reddiderat animum, induit Gideonem, ut Madianitarum exercitibus diversis, quos cogi in unum videbat, ipse nullo adhuc milite instructus occurrere decerneret. Clanxit igitur buccinâ, convocavit familiam Abiezer, fortissimi ducis, ut sequeretur se, misitq; nuncios in universum Manassem, qui & ipse secutus est eum, & alios nuncios in Aser & Zabulon & Naphthali, qui occurrerunt ei. Congressis in consilium tribuum illarum ducibus, ut certi essent, Deum velle libertatem genti Hebrææ restituere & hostium crudelia & sanguinolenta imperia subvertere, atq; ad id muneris Imperatorem delegisse Gideonem, pulcherrimo documento, quod

quod Sancti Spiritus mirifica manus præparaverat, confirmantur. Gideon vellus expandit, in quo factum est, ut alternatis noctibus nunc ros in sola velleris lana existeret, universa terra circumcirca siccâ, nunc ros in terram perfunderetur, lanâ velleris siccâ. Sed & ex cœlesti præcepto insolitam militum lustrationem instituit, & deducto universo exercitu ad aquas eos, qui flexo poplite ex profluente biberunt, exauctoravit, qui verò prostrati in terram canum more lamberunt aquas, retinuit. Eodem instinctu clandestino itinere ad hostium castra adrepit & consilia eorum pertentat: ubi audito colloquio de subcineritio pane ad castra Madianitarum pervoluto & eadem perfringente mirificè excitatur: tandem aciem mirando consilio instruit; namq; primum in tres cohortes dividit, deinde gladio accinctis singulis tubas in dextra, hydrias &

lampades in eis effulgentes in sinistra esse voluit: porro ad exercitum Madianitarum diverso itinere contendit, & dato signo tubæ sonuerunt, hydriæ fragorem insolitum ediderunt, crepitantium armorum & infinitæ multitudinis, lampades flammam ediderunt nocturno tempore adversariis terribilem, sibi utilem, interea symbolum illud verè divinum auditum est frequentissimè, HIC GLADIUS DOMINI & GIDEONIS. Ita universus Midianitarum exercitus territus, dissipatus, fugatus, cæsus & subversus est, captis regibus & ducibus primariis. Simili fere apparatu, sed dissimili eventu Anno V. C. 399. Falliscì Tarquinienses cum Romano Consule pugnaverunt. Nã primum maximus in Romano exercitu terror fuit, cum sacerdotes eorum facibus ardentibus, anguibusq; præ latis incessu furiali insueta specie Romanum aggrederentur militem, unde

Livius dec. 1. lib. 7. p. 618.

unde alterum etiam consulem prima pugna fugaverunt & tunc quidem veluti lymphati & attoniti munimentis suis trepido agmine inciderunt: deinde verò ubi consules & tribuni legatiq; puerorum ritu vana miracula paventes irridebant, increpabantq;, vertit animos repente pudor, & in ea ipsa, quæ fugerant, velut cæci ruebant. Discusso itaq; vano apparatu, cum in ipsos armatos sese intulissent, avertunt totam aciem, castrisq; etiam eo die potiti, præda ingenti parta victores reverterunt, militaribus jocis cum apparatum hostium, tum suum increpantes pavorem. Sunt equidem in hoc Gideonis apparatu plurima, quæ singulari S. Spiritus consilio administrata supra exemplum sunt. Lustratio insolita, acies mirificè adornata, miraculum velleris rorulenti. Solitus est quidem Deus in liberanda Ecclesia & Republ. pressâ insolitis in-

tis indiciis monstrare fortunam belli secundam & Martem propitium. Sic Constantinus M. cruce inter sydera promicante victoriæ spem concepit. Sic apud Theophylactum Simocattam in hist. Mauritiana refertur, in cruento Romanorum & Persarum concursu, cum jam prima Persarum acies fusa esset, mediæ verò phalanges Persarum acri occursu & valido impetu dubiam victoriam fecissent, divinam quandam vocem pro arbitrio se interponentem, alienigenis certamen adversum reddidisse. Clarissimo quippe, inquit Simocatta, cum sonitu vox Romanos circumvolans hostium equos lanceis fodere jubet. Qui mandato obtemperantes, copias debellant. Unde magnifica Romanorum trophæa barbari cernentes, imbecillitatem suam, virtutemq; hostium agnoscunt, & ad fugam etiam ipsi se intendunt. Ejusmodi verò miracula

l. 2. c. 4.

Vide & Simocatt. l. 8. c. 6.

velle

velle expectare nostro hoc seculo, quanquam pluribus miraculis nos tutatus fuerit Deus optimus Maximus, frustraneum est, neq; ad liberationem Captivæ religionis atq; libertatis divinitus præceptum. Sunt tamen in apparatu Gideonis, quæ si expresserint proceres Reip. Christianæ, quibus excubias pro civitate sancta commisit Sanctus DEI Spiritus, indubii erunt salutis publicæ vindices. Laudabiliter factum est & ad Gideonis exemplum fortiter, quod Madianitis & Amalecitis universam Germaniã numerosis exercitibus coercentibus & ubiq; libertati frenum injicientibus, religioni exilium aut imperantibus aut minitantibus, ipsi tamen statuerint occurrere ferocibus consiliis & suum tueri jus, suam vindicare libertatem, Imperii servare decus, Deum religionemq; silentio pernicioso & secura quiete non prodere. Clanxit bucci-

buccina, AUSPICE magnanimo Gideone Ecclesiæ Christianæ, sollicitatus est potentissimus imperii dux Abi Eser, sed & principes & capita Germaniæ convocati sunt, decreta est defensio contra vim Orientalium. Extensum est coram ipsis aureum vellus, Dominus & servator noster Jesus, qui rorem gratiæ suæ cœlestis, quem ab æterno dedicavit saluti generis humani & universum intra lanam quasi suam continuit, liberaliter in terras ipsorum sparsit & in conchas cordium instillare paratissimus est. Sint ergo velleris isti sacrosancti equites, non illius Jasonii, à quo appellatus ordo vehementer hactenus vellicavit sacrum DEI cœtum, utut solenni formula profiteantur illius equites, *defensioni Ecclesiæ eligimus insigne vellus aureum nostro ordini.* Certo secum statuant, pro agni innocentissimi & immaculati gloria pugnare, pro Ecclesia

clesia Christiana, quæ velleris hujus rorem ad se traduxit, dimicare, pro verbo & sacramentis, quæ sunt conchæ cœlestis roris, decertare. Lustrent exercitum, probentq; Assumant non eos, qui ignava & voluptuaria opera aquas salutis ambiunt, qui per scelerum multiplicium inquinamenta progressi ex desperatione potius, quam verâ virtute militiam professi sunt, qui militari licentia non erubescunt derrectare Sancti Spiritus imperium & violare gloriam, cujus se vindices profitentur: sed eos q; i se magna humilitate prosternunt ad salutis aquas, qui amore Sancti Spiritus concitati & veræ virtutis robore sanguinem incorruptũ patriæ consecrant, qui etiam in militia lampada cœlestis verbi spectant, qui gladium Domini suum q; beato fœdere sociant. Insana vox est, quæ censet, in militari apparatu quicquam de severitate disciplinæ sacro-

lacrosanctæ, de gravitate institutorum ad pietatem comparatorum, de suspiriorum precumq; diligentia remittendum. Debet militia nostra esse gravis, sancta, ad Deum erectæ, ad pietatem composita & contrà ea vitia instructa, quorum atrocitas in has turbas adegit Germaniam. Nam si ea vitia ad defensionem salutis publicæ attulerimus, quæ offensionem primùm Sancti Spiritus gravissimam excitarunt, nonne similes illis futuri sumus, qui malignam febrim peste curare satagunt. Debet itaq; gladius pro libertate stringendo esse Domini & Gideonis. Sed & in adversaria castra sollicitè inquirant, qui Gideonem & principes familiarum Hebræarum in Rep. liberanda imitari volunt. Patienter & cum bono DEO audiant contumelias & insultus victoriosæ hucusq; militiæ adversariæ, quę universos nostræ militiæ principes subcineritio pane viliores

liores & transmarino onocrotalo abjectiores esse judicat & dicendi scribendiq; mordaci licentia temerè lacessit. DEO adhæreamus, in Deum respiciamus, cum DEO stemus: & supra contumelias insultusq; triumphabimus. Ita ordinata acies, quam prophetæ Domini ad venerationem vocis divinæ, monstrata peccandi deformitate, Sancto DEI Spiritu autore, adegit, quæ vero animi motu ingemiscit & clamat ad salutis fontem, quæ ANGELI DOMINICI JESU CHRISTI gloriam spectat, quę Baalitismum sincerè expulit & sanctis oraculis explicatum cultum sequitur, quę clangente Sancti Spiritus buccinâ congressa est, cujus expeditionibus aurei diviniq; velleris amor subtensus est, quæ DEO probata est, quę facibus fidei & pietatis ardentibus coruscat, à Spiritu Sancto divino moderamine perducetur ad priscæ libertatis restaurationem &

tot

tot vinculorum immanium ruptu-
ram. Nos obviam occurramus mo-
nitis, precibus, lacrymis & pietatis
ſinceræ incitamentis, ut tota militia
undiq; ſine offenſa progrediatur &
gloriæ Domini JESU feliciter militet.
Sed hoc totum præſtabit gladius
Domini & quem Sanctus DEI Spiri-
tus induerit Gideonem.

Tu vero SANCTE DEI SPIRI-
TUS, Spiritus ſapientiæ incompre-
henſibilis & immenſi roboris, ſum-
me Deus, benigniſſime conſolator,
vide quæſo oculis cognitæ miſera-
cionis tuæ, quantum ſervitium ſub
Madianitis, Amalecitis, & cæteris
hoſtibus tuis ſerviamus, quam ditis
cruciatibus & crebris cladibus nos
concutiant & evertant, quantam
florentibus quondam regionibus
ſolitudinem, ditiſſimis civitatibus
vaſtitatem inferant, quam vetuſtas
& tui cum primis nominis cultu ſa-
croſanctas urbes favillis & cineribo
ſepeli-

sepeliant, quantis sincerum nominis tui cultum, seculo integro jam purum in Germania, cuniculis subversum eant, quantum libertatis nobis ereptum sit, quantum vitæ. Fatemur nostris flagitiis & tantas & atrociores deberi poenas. Sed tu S. Sancte Spiritus, gratiæ fons inexhaustus, miserationis perennitas, excita & anima Prophetas tuos, qui universis tribubus nostris fontem mali boniq; graviter ostendant & valide ut illum exhauriant, hunc imbibant, persuadeant, qui ex abysso cordium fœditatem criminum ejiciant & vera suspiria ex te succensa excitent. Fac quæsumus sancti consilii Spiritus, ut angelus magni consilii, angelus fœderis sempiterni DOMINUS JESUS GIDEONES Reip. nostræ alloquatur porro & in gravissimo opere confirmet. Ostende illis Baalitismi horrorem & infunde invictu adversus eum odium, ut eum ejiciant pe-

ant penitus & pessundent. Ostende illis sanctissimæ religionis nostræ pulchritudinem & decus, ut eam undiq; restaurent. Indue Gideones nostros novo robore, ut felicibus auspiciis clangant buccina, & consulant fortunatis consiliis pro tua gloria. Ostende illis vellus aureum innocentissimi JESU, cujus sanctitatem tantopere hostes vellicant, cujus virtutem convellunt, cujo nutritios avellunt: ut pro eo gloriosè & feliciter pugnent. Inspira cooptatis in militiam veræ virtutis ardorem & perpetuam adversus vitia pugnã. Da in corda eorum, quæ alias hydrię sunt fragiles, faces veræ fidei & pietatis, ut tuis motibus roborentur. Fac ut & universi ordines fide, precibus, suspiriis, sanctitate concurrant. Ut gladius noster sit gladius DOMINI. Fac invicte Spiritus, ut per te vincamus & depositum sacrosanctum, quod tu summa gratia orbi

orbi tradidisti custodiamus, & seris posteris transmittamus. Sic tibi excussa aliena servitute in libertate serviemus, sic te excussa aliena ignominia glorificabimus, qui es animarum nostrarum gaudium, cordis tripudium, lugentium solatium, captivorum libertas, ignorantium lumẽ, frigidorum ignis, fons rorulentus, flamen indeficiens, cui cum patre æterno & filio ejus DN. JESU imperium est sine terminis, gloria sine intervallis, felicitas sine periculis, beatitas sine miseriis.

DIXI.

AD

AD
DISSERTATIONEM
SEXTAM
PROGRAMMA.

PRODECANUS FACULTATIS THEOLOGICÆ IN ACADEMIA ARGENTORATENSI,

JOHANNES SCHMIDT,
SS. THEOLOGIÆ DOCTOR,
PROFESSOR PUBL. ET CONVENTUS ECCLESIASTICI
PRÆSES,

Civibus Academicis Spiritûs Sancti χαρίσματα P.

VISIONUM γνησίως Divinarum, quas inter singularia Spiritûs Sancti dona Propheta Joel cap. 2. v. 28. & ex eo Apostolus Petrus Act. 2. v. 17. ponit, maxima semper in Ecclesia fuit

fuit dignitas, summa veneratio, eximia utilitas. Quorum enim pectora unquam cœlesti lumine collustrata, peculiares, sive de salutaris fidei ratione, sive futurarum rerum eventibus revelationes perceperunt, ii, communi reliquorum hominum sorte exemti, quodammodo in ipsum numinis commercium venerunt, meritò hoc majori cultu digni habiti, quò cœlestis societas, hominum conversatione, divinæ voluntatis cognitio, gregariâ est præstantior. Cui ex subditorum ordine ad secretiores Principis, de Reipubl. incolumitate susceptas deliberationes, patet aditus, in eum reliqui omnes oculos conjectos habent, eum venerabundi adeunt, audiunt, colunt, suspiciunt: longè ampliori honore, qui ex humano genere ad divinæ mentis intelligenda consilia novis atque inusitatis θεάσεσιν admittuntur, sunt prosequēdi, maximè, cum, quæ indead nos Jehovæ mandato perferunt, lucem divinæ notitiæ in mentibus nostris augeant, confirment fidem, spem nutriant, inflamment amorem, cœlestium

bono-

bonorum accendant desiderium, & ad beatam æternitatem viam sternant. Porrò quemadmodum hujusmodi VISIONES summâ semper excelluerunt in piorum cœtu authoritate, & uberrimum fidei attulerunt fructum: ita nunquam, sub utroq; Testamento, defuerunt, qui, ut vel nominis sibi pararent gloriam, vel superstitiosa disseminarent dogmata, vel quocunq; modo simplicioribus imponerent, falso easdem jactârunt. Quadringenti ad mandatum Ahabi prodierunt, qui uno omnes, sed mendacissimo, ore victoriam Regi sunt polliciti, è quibus Zedekia, ut divino afflatu omnia agere ac proferre videretur, ferrea sibi cornua, externos verorum Prophetarum gestus imitatus, fabricavit 1. Reg. 22, 6. Neque pauci fuerunt, de quibus Jehova Jer. 23. 25. *audio*, inquit *quid dicant, qui prophetant nomine meo falsum, & dicunt: somniavi: usque quò istud est in corde Prophetarum vaticinantium mendacium & prophetantium seductiones cordis sui, qui volunt facere, ut obliviscatur populus meus nominis mei, propter somnia*

somnia eorum, quæ narrat unusquisq; ad proximum suum. His similes extitere, qui *Judæis* ante captivitatem Babylonicam *viderunt vanum & insulsum, neq; retexerunt iniquitatem eorum ad avertendam captivitatem, sed viderunt onerosas Prophetias rerum vanarum & ad depulsionem spectantium,* Lament. Jer. 2. 14. *qui eis obduxerunt ineptum tectorium, videntes vanitatem & divinantes mendacium, dicentes: sic ait Dominus Jehova, cum tamen Jehova non locutus esset,* Ezech 22. 28 E quorum factione Hanania confidentissime impudentissimeq; dixit: *Sic ait Dominus exercituum, Deus Israel, contrivi jugum Regis Babylonis: adhuc duo anni dierum, & ego faciam referri ad locum istum omnia vasa domus Domini, quæ tulit Nabuchodonosor,* &c. Jer. 28. v. 2. & 3. Ad quem paulo post Jeremias, *audi,* inquit, *Hanania, non misit te Dominus & tu confidere fecisti populum istum in mendacio* v. 15. Sub Novi Testamenti primordia, cum, post Christi in cœlos ascensionem, Apostoli, uti linguarum cognitione, admiranda eloquentiâ, fortitudine ani-

mi, sapientiâ, vaticinandi facultate, aliisq; donis: ita & cœlestibus visionibus clari, in universo terrarum orbe Evangelium de via salutis prædicarent, passim, instinctu Satanæ, Pseudo-prophetæ surrexerunt, qui sub divinarum revelationum specie, horrendos contra Christianam fidem errores spargere, conati sunt, ut hinc non modò Apostoli, Petrus & Paulus, Ecclesias maturè gravissimis admonitionibus contra eorundem impostoras communire necessarium judicârint, sed & Evangelista Johannes *multos Pseudoprophetas in mundum* suo tempore jam *exiisse* scripserit. Simon Magus Samaritanus ex vico Tritone, quem Irenæus *omnium Hæreticorum Novi Testamenti Patrem* appellat, ut impiis dogmatibus, quę maximam partem ex Ethnicismo & Judaismo infaustâ mixtione congesserat, in sui admirationem simpliciores mentes pertraheret, *se de cælo descëdisse*, audacissimè tradidit: quo pacto obtinuit, ut Romæ sub Claudio pro Deo haberetur, & statua, ad Tyberim, inter duos pontes, hac inscriptio-

scriptione, *Simoni Deo Sancto*, erigeretur. De Cerintho Baronius ad A. C. 97. num. 13. ex Eusebio refert, quod per *adumbratas revelationum species absurda portenta, præstigiasq; quasi sibi per angelos ostentatas, falsò commentus fuerit, & inter alia asseverauerit introduxerit, post resurrectionem carnis humanæ, regnum Christi terrestre futurum.* Addit ibidem primos Novi Testamenti Hæreticos fere omnes, *quò minus veritate agere potuerint hoc magu ad impostoras fuisse conversos, & inter alia complures falsas revelationes, quasi sibi divinitus allatas, excogitâsse, easdemq; interdum apostolorum, vel aliorum insignium virorum titulo nobilitâsse.* Tertullianus Paradoxon suum, *quòd animæ sint corporeæ*, defensurus, revelationes, non quidem propria, sed Priscillæ Montani sociæ in medium adfert: *Est*, inquit lib. de anim. cap. 9. *soror apud nos revelationum charismata sortita, quas in Ecclesiâ, inter Dominica solennia, per ecstasin in Spiritu patitur, conversatur cum angelis, aliquando etiam cum Domino, & videt & audit sacramenta, &*

quorundam etiam corda dignoscit: fortè nescio quid de anima disserueramus, cum ea soror in spiritu esset. Post transacta solennia, dimissâ plebe, quo usu solet nobis renunciare, quæ viderit, inter alia, inquit, est mihi ostensa anima corporaliter, & Spiritus videbatur, sed non inanis & vacuæ qualitatis, imò quæ etiam teneri repromitteret, tenera & lucida, & aërei coloris, & formâ per omnia humanâ: Hæc visio est; Deus testis, &c. Manetem, Diabolicæ falsitatis, Leonis M. judicio, Magistrum & obscænæ conditorem superstitionis, Augustinus lib. 15. contra Faust. Manich. cap. 6. ait palàm affirmâsse, quod *viderit maximũ regnantium Regem, sceptrigerum, perennem, floribus cinctum, & facie rutilantem*: &c. in quem postea graviter invehitur, inquiens: *ô lasciviæ immundæ! sine fronte adhuc garris, adhuc pascis ventos, adhuc amplecteris idola cordis tui? Itane tu facie ad faciem vidisti regnantem Regem?* &c. Sic pleriq; alii, qui novas & monstrosas de religione opiniones, in scripturâ non modo non fundatas, sed & iisdem è diametro contrarias, aliis

obtru-

obtrudere voluerunt, in visionibus inexpugnabile præsidium quæsiverunt. Imo & Mahomet, ut plus autoritatis Alcorano suo compararet, cælitus eum sibi datum finxit: jurat, se in cœlum raptum, didicisse mysteria sua, Azoar. 63. *Per stellam vespertinam cliens noster nullatenus errans, nil ex proprio velle, nisi tantum divinitùs sibi mandatum loquitur: qui sublimatus ad Orizontis celsitudinem, ad Deum ipsum instituentem illum atque docentem efficaciter accessit: tanti tamen spacii intervallo, quantum sagitta arcu missa bis transcurreret. Qui tunc præcepta DEUM sibi dicentem, audiens, animum minimè dubitantem inde tulit: ubi nec vos cum de divina visione calumniemini,* &c. Nunquam tamen tantas fingendarum *visionum* vires impudentia habuit, quàm ubi Papatus Romanus caput erigere, & Ecclesiæ, tyrannico ausu, dominari cœpit, nimirum circa annum Christi sexcentesimum: de quo Pontificius non ignobilis: *circa hunc annū*, inquit, *consuetudines seu dogmata veteris Ecclesiæ cum miraculis novæ pugnare cœperunt.*

Nam spectrorum apparitiones, & aliæ imposturæ Satanæ miraculorum, veterem illam formam religionis everterunt. Auctæ enim subinde fuerunt superstitiones, novis erroribus veteres cumulati, qui, ut locum apud incautam plebeculam invenirent, mendacissimas visiones, veluti quædam sigilla iis appendere, impietatis Patronis visum est. Certè, si ingentem Pontificiarum traditionum catalogum lustremus, &, quibus munimentis, quæ *de oblatione sacrificii altaris, invocatione sanctorum, purgatorio, orationibus & oblationibus pro defunctis, Primatu Romani Pontificis, consecratione aquæ in baptismo elementi, verbis & effectu sacramentorum, Confirmationis, Ordinis, Matrimonii, Pœnitentiæ, extremæ Unctionis, Orationibus pro defunctis, satisfactionibus, meritis operum, enumeratione peccatorum sacerdoti faciendâ, jejunio quadragesimæ & quatuor temporum, Canone Missæ, Communione sub una specie, adoratione panis consecrati, indulgentiis, rosariis, cœlibatu sacerdotum, consecrationibus salis, aquæ, cinerũ, cereorum, placentarũ, &c.*

Bapti-

Baptismo campanarum, vigiliis, reliquiis sanctorum, imaginibus item & statuis, peregrinationibus, Fraternitatibus, Monachorum & Monialium Ordinibus, crucibus, festo corporis Christi & id genus aliis tradùt, confirmant, videamus: apparitiones, revelationes, somnia, visiones ubique in fronte, à lateribº, à tergo invenimus. Sanè, nonnunquam etiã scripturæ testimonia adhibent: at, quia parum iis fictitios cultus suos juvari cernunt, illico (quod vel ex unico *Antonii Dauroultii Jesuitæ libro*, cujus inscriptio est: *Flores exemplorum sive catechismus historialis, opus summâ fide, diligentiâ & multorum annorum studio ex quingentis quinquaginta amplius probatæ notæ scriptoribus, collectum, in quo fides catholica miraculis penè innumeris, &c. confirmatur* abundè liquet) ad visionum suarum asylum se recipiunt, & tantâ quidem interdum impudentiâ, ut ipsos cordatiores Pontificios figmentorum pudeat: Unde Melchior Canus l. 11 Locor. Theologicor. cap. 6. pag. 533, & seq. *Dolenter*, inquit, *hoc dico multò â Laertio severius vitas Philoso-*

phorum scriptas, quàm à Christianis vitas sanctorum: nostri enim pleriq; vel affectibus inserviunt, vel de industria quoque ita multa fingunt, ut eorum me non solùm pudeat, sed & tædeat. Alfonsus Salmeron disp. 26. in 1. Cor. 15. *Dionysius Cartusianus in lib. de quatuor novissimis c. 27. exempla quædam ex sanctorũ revelationibus producit, sed ejusmodi revelationes non sunt confestim aut passim ut veræ recipiendæ.* Et disp. 25. in 1. Joh. 4. *Cavendũ à novis revelationibus & somniis, ab inspirationibus, à visionibus & apparitionibus. Satanas se transformat in angelum lucis,* &c. Ita Henricus de Hassiâ & Sybillinus *negant revelationes Brigittæ debere haberi pro inadubitanter veris certitudine morali, idq; contendunt multis argumentis.* Videatur Martinus Delrio l. 4. disq. Magic. c. 1. q 3. Neque vero solus Papatus *divinarum visionum* superioribus seculis habuit hodieq; habet jactatores: sed & alii Fanatici non pauci, quãdo pro libidine, vel impias contra verbum DEI, à se confictas hactenus protulerunt sententias, vel de futuro rerum hujus mundi, imperiorum,

riorum, regnorum, familiarum, &c. statu, quædam prædicere ausi sunt, cœlestibus illuminationibus, angelorum conversatione, DEI ipsius colloquio, se de omnibus edoctos, ut imprudentioribus persuaderent, operam dederunt. Nec hodie desunt in diversis Germaniæ oris, qui hoc pacto sibi nominis celebritatem acquirunt, multos decipiunt, non paucos dubios & anceps reddunt. Quâ etiam re permotus *Vir perquam Reverendus, Clarissimus & Excellentissimus*, DN. JOHANNES GEORGIUS DORSCHEUS, *SS. Theol. Doctor, & in Academia nostra Professor celebratissimus, Ecclesiastes vigilantissimus, ut & Collegii Theologici h.t. Decanus spectatissimus; fautor, amicus, Compater & in Christo frater noster plurimum honorandus*, cum de argumento aliquo, à solenni Spiritûs Sancti Festivitate, quam hisce diebus Christianus orbis celebrabit, non alieno, verba ipsi, ad pietatem Civium Academicorum excitandam & augendam facienda essent, *de hujusmodi visionibus*, quo loco numeroque habendæ

sint, idq; *occasione Visionis Gregorii Thaumaturgi, Episcopi Pontici à Georgio Nysseno jactatæ, quæ Beatam Virginem Θεοτόκον & Johannem Evangelistam de mysterio SS. Trinitatis & Spiritûs Sancti divinitate perorantes & vidisse & audivisse dicitur*, agere secum constituit. Intelligitis argumenti & utilitatem, & suavitatem; nostis, & merito maximi mecum Excellentissimi Oratoris æstimatis facundiam: officii vestri tenetis rationem, unde sponte vestrâ, me etiam operosius non monente, *cras horâ octavâ* vos frequentissimo cœtu tum ad audiendam sacram orationem, tum ad fundendas preces religiosè comparituros, minimè dubito. P. P. Argentorati XXIII. Maii Anni M. DC. XXXIV.

DISSER-

DISSERTATIO VI.

De visione Gregorii Thaumaturgi Pontici Episcopi, qua dicitur B. Virginem θεοτόκον & S. Johannem Evangelistam vidisse & audivisse de mysterio S. Trinitatis & æterna S. Spiritus divinitate perorantes, cujus meminit Greg. Nyssenus Orat. in ejus vita, quamq; Bellarm. lib. 1. de Christo inter argumenta pro ejus divinitate recenser, ejus autoritatem & an sit divinæ à S. Sancto originis exponens, & quid de VISIONIBUS, etiam hoc seculo frequentibus sentiendum declarans.

NUlla major inter homines audacia furit, quam quę ingenia sive

sive superstitiosa, sive curiosa contra Deum armat. Velle negare Deum, Optimum Maximum rerum omniū conditorem & arbitrum; subducere universitatem ab ejus vi atq; imperio, & in eundem æternitatis apicem cum eodem collocare; magni & supremi Numinis arctare potentiam, & quatenus illa valeat vigeatve, delineare atq; circumscribere, sapientissimum sagacissimumq; in folio inaccessō oculum ad quarundā rerum notitiam claudere, & quadam ignorantiæ circumfundere caligine; infiniti amoris, in minutissimas res flagrantis, adversus animalcula contemtissima promicantis, passim sese profundentis, frigus quoddam pertinax & absconditum fingere, quod hominum magnum numerum, in quibus imaginis æternæ fulgor purima de benignissimo Dei pectore dudum promiserat, fatali clausulā, nullo scelerum interveniente motu, sine

sine benignioris complexu spe æterno gelu damnet, quanta quæso temeritas, imo quanta insania est? Imo justitiam Dei ita obvelatis oculis in dispositione æternorum cæcutientem dicere, ut sine peccati fœdantis intuitu, innumerabilem cœtū mortalium ad immortalitatem conditorum, æternis suppliciis puniat. Sapientiam DEI fingere tantis erroribus obvolutam, ut horrendo decreto per imaginis DEI communionem via inevitabili creaturas ad pœnarū æterna tormenta deducat: Majestatem DEI ita definitis includere limitibus, ut intra cœlorum quoddam concavum sedeat & emissitiis quibusdam virtutis promanantis radiis dissitas à se universi partes gubernet: Thronum adorandæ perfectionis in ea diffundere spatia, in quæ adscriptitii quidam sancti tanquam Deastri admittantur & juxta immensum summi boni fontem vivulos

los quosdam, nescio quorsum salutares, emittant, quiq; partiantur cum Deo regnum, cum Christo advocationes, cum Sancto Spiritu solamina, certisq; districtibus aut affectibꝰ imperitent: sic inquam Dei justitiam dijudicare, sapientiam disputare, Majestatem minuere, thronum invadere, nonne abominanda est deliratio & inexplicabilis impudentia? Sic tamen insana mortalium cohors arbitratur circa inaccessum tremendumq; numē, ut in nulla re frequentius securiusq; insaniat. Nec intra hos sese continet terminos. Horridiora audet, & intimos æterni numinis recessus grassatur. Generationis æternæ ineffabile arcanum, quo nihil purius, nihil dulcius, nihil perfectiꝰ, ex quo sine sectione aut imminutione incomprehensibilis essentiæ Pater æternus, æternusq; est filius, in quo salutis nostræ & cardo vertitur, & via patet & patrocinium

consistit, quantis quæso expositum est ludibriis? quam petulantibus à multis seculis petitum stylis? quam procacibus exercitũ linguis? Deum ab æterno Patrem esse, Filium illum unigenitum in sinu Patris ab æterno natum esse, inter monstra deliramentaque nonnulli numerare non erubuerunt. Nota est vobis, A. Arii lascivia, Photini petulantia, Pauli Samosateni procacitas, Socini furor, plurimorũ aliorum rabies. Spirationis æternæ sanctissimum est mysterium, quo nihil simplicius, nihil immutabilius, nihil consummatius, nihil suavius aut melius, quo inseparabilis atq; intime una illa Dyas, Pater æternus, æternusq; Filius, sanctum spirarunt spiritum, ita tamen ut nullatenus mutata fuerit unitas, minuta simplicitas, perfectio detrita, bonitas arctata; ut nihil extra se miserit æterna Deitas, nihil intra se amiserit Pater & Filius, nihil intra se admiserit sum-

rit summa beatitas; ut habeat Pater Spiritũ, quem spiravit sine corporeo habitu, æterno & inexplicabili opere; habeat Filius cum Patre Spiritum, quem cum Patre spiravit, non adventitio motu, sed potentiâ cum Patre unâ: ut habeat Patrem Filiumq; Spiritũ, Sancta περιχωρήσει, immensa unitate, perfectissima communione, quo abdita vi se in mortalium pectora fundit Deus, & æternos gratiarum fontes dispensat, & lucis arcanæ radios profert, & veritatis in profundis Dei recessibus latitantis vim explicat. Hoc tamen mysterium temerare atq; calumniari Eunomium, Macedonium, Socinum aliosq; Duces secuti infiniti auli sunt satellites. Tanquam hoc in hominis potestate atq; arbitrio positum sit, fingere numen quale velis, & negare numen quale nolis. Non sane turbulentius in arena circulos informat & triangulos & quadraturas & figuras alias effingit quispiam e schollis

geometricis, quam homines, tenebris furibundæ mortis circumsiti, in divina natura partienda, coercenda, refingenda, describendaq; versantur. Si per ejusmodi hominum licentiam staret, parum procul dubio de Deo foret reliquum. Si quoties pestilenti somnio caligans tenebrio quispiam novam de Deo concipit formam, toties ipsi chronum divinũ adire liceret & taliter numen cõstituere qualiter esse visum fuit, quid quæso sæpiq; aliter esset? quid in statu suo tã non cõsisteret, quã hoc; à cujus beatissimo statu pẽdent omnia. Merito qui Deũ amant, pro Deo suo pugnant, ut talis credatur, qualẽ se nobis ipse cõcredidit, postquã se ipsum mortaliũ pectoribus infudit, quæ amœno atq; amico cõplevit lumine, in quo suã sapientiã & seipsum nobis explicavit, ex quo verbi cœlestis oracula sacrosancta promicuerũt, in quibus nunc Deum, indesinenter se nobis de-

bis describentem, de se ad nos perorantem, suaviter, salubriter audire sas est. Intempestiva miseratio est, dissimulare velle tantas hominum circa Deum libidines. Non patitur amor, qui Deum sincere complectitur, ut quis aliter Deum sibi formet, quam se in amantis pectore formavit tantus amicus, tantus amor. Æstuat justo Zelo, si quis summæ rei divinam formam maculet, mutet, distrahat, corrumpat. Parum Dei habent, qui de Deo suo aliquid minui, detrahi aut deformari patiuntur. Habeat America latissimos recessus, habitetur infinita multitudine; Sit Africa numerosa multitudine hominum culta: Superbi at Asia populorum innumerabilibus agminibus: Tum eat regnis suis & cœtibus Europa, Ubi tamen nec America, nec Africa, nec Asia, nec Europa recipit illud Dei lumen, quo se Sanctissima Trinitas clarissimis nunc documentis orbi ex-

bi expoſuit, in DEI amicitiam non venit. Intra paucos etiam olim ſtetit fœdus cum DEO, cum Apoſtoli ſancti, juſſu Chriſti, pedem orbi intuliſſent & veritatis adorandæ ſecreta cum gentibus primum communicaſſent. Χρόνοι ἀγνόιας, tempora & ſecula ignorantiæ plurima retro fluxerant. Denſiſſima caligo & pernicioſus errorum amor vaſtiſſimam partem orbis corruperant. Itaq; mirum nihil eſt, quam plurimas orbis partes etiam hodie erroribus occupari & DEO amicitiæ tábulas remittere. Vindicanda eſt hæc DEO illata injuria flammis amoris divini, & cœleſtibus armis contra deſertores iſtos pugnandum. Sic pugnarunt vetuſtiſſimi præſules ſanctæ Eccleſiæ, ſic caſtigarunt male de Deo ſuo ſentientium licentiam. Verbum DEI, invictum veritatis propugnaculum, præſtituerunt ſanctæ aciei, hoc muniti cuneum fecerunt & globum &

bum & testudinem. Pacem cum nemine aliter fecerunt, quam si in eam de DEO sententiam concederent, quam verbi divini tabulæ manifestant. Secus steterunt irreconciliabiles, & præsidio cœlesti sese contra odia armaverunt protinus. Etiam Synodos, tanquam Ducum quoddam concilium, conscripserunt, in quibus de communi hoste suscipe-retur deliberatio, & pro totius sancti exercitus salute decerneretur. Sancta est memoria Niceni concilii, Sancta Ephesini, sancta Constantinopolitani, sancta Chalcedonensis, sancta plurimorum aliorum. Sic pro DEO certatum fuit antiquitus, sic Pater in sanctissimo thalamo, Filius in perenni adorandæ celsitudinis throno, Spiritus Sanctus in beatissimo utriusq; sinu defensus fuit. Cæterum nonnulli alia quæpiam veritatis munimenta, alia arma contra hostes, alia instrumenta subvertendis hostilibus

libus machinationibus attulere. Qui sub aquila degeneris Romanensium præsulis pro Deo militare videri volunt, inter quos pluribꝰ coronis sibi debitis superbit Rob. Bellarminus, VISIONIBUS & apparitionibus unquam ultima vi & subsidiario quodam robore pugnant. Producunt ex Beda & Adone Viennensi S. Petrum Martyrem, Episcopum Alexandrinum, cui, cum jam prima semina Arianismi apparere cœpissent, apparuerit in carcere Christus, veste scissa à summo usqꝫ deorsum, & cũ S. Petrus rogaret, quid hoc sibi vellet, responsum acceperit, Arius hoc fecit, quia populum meum à me separavit. Atqui Venerabilis Bedæ & Adonis Viennensis martyrologia non uno loco subleſtæ sunt fidei, non uno loco fabulam pro historia venditant. Possemus ex magno fabularum instauratore Cæsare Baronio Cardinale plura in utroqꝫ falsimoniæ

Bellarm. l. 1. de Christo c. 12.

moniæ documenta dare. Proferunt
insuper mirandas visiones, quas con-
lib. 3. tra Arianos in Dialogis suis recenset
c. 29. Gregorius Magnus Pontifex. Cum
30 31. ad Spoletanam urbem Longobar-
dorum Episcopus, scilicet Arianus,
venisset, & locum illic, ubi solennia
sua ageret non haberet, cœpit ab ejus
civitatis Episcopus Ecclesiam pete-
re, quam suo errori dedicaret. Quod
dum valde Episcopis negaret, idem
venerat Arianus & B. Pauli Apostoli
Ecclesiam illic cominus sitam se die
altero violenter intraturum esse pro-
fessus est. Quod ejusdem Ecclesiæ
custos audiens, festinus cucurrit, Ec-
clesiam clausit, seris munivit. Facto
autem vespere lampades omnes ex-
tinxit, seq; in interioribus abscondit.
In ipso autem subsequentis lucis cre-
pusculo Arianus Episcopus collecta
multitudine advenit, clausas Eccle-
siæ januas effringere paratus. Sed re-
pente cunctæ simul portæ divinitus
concus-

concussæ, abjectis longius seris aperiæ sunt, atque cum magno sonitu omnia Ecclesiæ claustra patuerunt. Effuso desuper lumine omnes quæ extinctæ fuerant lampades accensæ sunt, Arianus verò Episcopus, qui vim facturus advenerat, subita cœcitate percussus est, atque alienis jam manibus ad suum habitaculum deductus. Quod dum Longobardi in eadem regione positi omnes agnoscerent, nequaquam ulterius præsumserunt Catholica loca temerare. Miro enim modo res gesta est, ut quia ejusdem Ariani causa lampades in Ecclesia B. Pauli fuerant extinctæ, uno eodemque tempore & ipse lumen perderet & in Ecclesiam lumen rediret. Alterum contra Arianorum causam Miraculum est, quod Romæ accidisse dicitur. Nam cum Ecclesiam quandam, quæ Arianorum fuerat, ipse B. Gregorius introductis sanctorum reliquiis reconciliasset,

Diabo-

Diabolus in specie horrendæ suis primum exivit, deinde nubes lucidissima super altare descendit, & simul ingens suavitas odoris in eum omnem locum effusa est, lampadesq; omnes divinitus accensæ. Post paucos dies iterum, cum expletis missarū solemniis extinctis lampadibus custos ex eadē ecclesia egressus fuisset, post paululum intravit & lampades, quas extinctas reliquerat, lucentes reperit. Quas negligentes extinxisse se credens, eas jam sollicitè extinxit & exiens, Ecclesiam clausit; sed post horarum trium spatium regressus, lucentes lampades, quas extinxerat, iterum accensas invenit, ut videlicet ex ipso lumine apertè clarescceret, quia locus ille à tenebris ad lucem veniisset. Tertiū ex Hispaniâ celebratum, copiosè Gregorius annotavit. Summa est. Herminigildus Regis filius à Patre Ariano propter fidem obtruncatur. Cœpit verò

in no-

in nocturno silentio psalmodiæ cantus ad corpus defuncti Regis & martyris audiri, & lampades splendoris pulcherrimi circumcirca lucere. Itaq; & Richardus Herminigildi frater, Patris tyranni successor & universa Visigothorum gens ad sanctam fidem transiit. Hæc sunt è Dialogis miracula Ad quæ meminimus merito gravissimæ monitionis, qua Melchior Canus Fortunatarum Insularum Episcopus Theologum instruit, ne id statim illi persuasum sit, omnia quæ magni autores scripserint, undiq; esse perfecta. Nam & labuntur aliquando, ut ille ait, & oneri cedunt & indulgent ingeniorum voluptati, vulgoq; interdum indulgent, nec semper intendunt animum, & nonnunquam fatigantur. Summi enim sunt, homines tamen. Quæ ego, inquit, eadem de Beda atq; Gregorio jure fortasse ac verè dicere possum, quorum ille in historia Anglor-

glorum, hic in Dialogis quædam miracula scribunt, vulgo jactata & credita, quæ hujus seculi Aristarchi incerta esse censebunt. Equidem historias illas probarem magis, si earum autores juxta præfinitam normam, severitati judicii curam in eligendo majorem adjunxissent. Ecquis vero probare, & non prodere religionem potiùs videbitur, qui ex isto hypoboli mæo dialogorum libro miracula narrabit, pro SS. Trinitatis mysterio, pro divinitate JESU Christi, pro Sancti Spiritus æternitate. Si in Gregorii M. scriptis magna semper dictionis est æqualitas, & aptè continuata orationis series, quod Sixtus Senensis in bibliotheca fatetur: si Gregorius vicit eloquentia Cyprianum, ut ex S. Ildefonso probat Baronius, actum est de his Dialogis, Gregorii M. nullo modo esse possunt. Est sanè in his Dialogis scaber & difformis stilus & dictionis multa barbaries. In illis

illis dicitur: Tollite flagellum, ut habeatis, qualiter hoc jumentum minare valeatis. Per culpam incuriæ succensa est civitas. Inhianter cupere. humano favore pulsatus. Meliorare lumina, & quæ sunt similes elegantiæ, obscurorum virorum epistolis miscendæ. Et ut filius arguit tenebricosi seculi autorem, ita & pudendæ fabulæ, quibus scatent Dialogi. Narratur in his, Monialem quandam lactucam conspicientem concupivisse, eamq; signo crucis benedicere oblitam avide momordisse & propterea a Diabolo protinus arreptam cecidisse: cumq; Diabolus ejiciendus esset, conqueritur quasi de injustitia clamans, Ego quid feci? Ego quid feci? sedebam ibi super lactucam: Venit illa & momordit me. Sed hic scriptor nasturtio cibandus est, & cum eo omnes illi, qui his fabulis firmari æternam veritatem autumant.

cap 12. & 13. Nec minus Becceselenus est Bellarminus, cum è Gregorio Turonico Episcopo bis idem miraculum profert & quidem altera vice fusissimè, ut Sancti Spiritus Deitatem cum Patre & Filio unam demonstret. Nolo omnia, quæ è Turonico Bellarminus accumulat, recensere, quæ ipso verborum contextu autoris, in fabulis amplectendis, indulgentiâ docent. Summa miraculi hæc est. Cum in Africa Cyrola quidam Patriarcha Arianorum Catholicos persequeretur & eodem tempore tres sancti Episcopi, Eugenius, Vindemialis, & Longinus, qui præter cæteros ei resistebant, omnes miraculis coruscarent, voluit etiam hæreticus miraculum facere. Itaq; cuidam 50. aureos numeravit, ut se cœcum fingeret: sed dum transeunte per viam Cyrola, ille cœcum se simulans Cyrolæ auxilium postularet, accessit Cyrola, oculosq; ejus tetigit, imperans, ut videret, in

ret, in signum veritatis, quam prædicabat, repente vero tantus ardor oculos illius miseri occupavit, ut coactus fuerit manibus eos comprimere, ne è fronte exilirent. Tum verò detexit dolum & fidem Catholicam alta voce confessus, à S. Eugenio signo Crucis repente curatus est. Memoranda de Gregorio Turonio Cæs. Baronii censura est, quam tulit in eum, quod asseruisset, sub Decio Imp. Dionysium Areopagitam in Gallias amandatum. Hæc, inquit, ut alia plura autoris Gregorii Turonici simplicitati, multa tàm facile admittenti, donanda sunt, prout etiam Hildvinus excusat, dicens; Cæterum parcendum est simplicitati viri religiosi Gregorii Turonici Episcopi, qui multa aliter, quam veritas se habet, æstimans, non calliditatis actu, sed benignitatis & simplicitatis voto literis commendavit. Atqui in divinis roborandis imprudens & pernicio-

A. Chr. 109. §. 49.

nicioſa iſta benignitas eſt. Sed nos jam alias ex antiquitate viſiones, alia miracula, quæ firmandæ S. Spiritus Deitati ſubitravit e Pontificia cohorte Bellarminus, connixis tranſibimus oculis. Illa penitius ferit oculos & majoribus ſe nominibus commendat, quam poſuit in frontiſpicium idem; & non tantùm Anti Trinitariis, verùm etiam Græcis oppoſuit, quæ Gregorio Thaumaturgo, Pontico Neo Cæſarienſi Epiſcopo obtigiſſe dicitur. Vidit is Johannem Evangeliſtam primùm, deinde Mariam, ſanctiſſ. Salvatoris parentem, & hanc quidem apud iſtum intercedentem, ut illi Gregorio, perplexo in myſteriis abſtruſioribus, univerſam de S. Trinitate, de Deitate Filii & Sancti Spiritus doctrinam explicaret, quod & Johannes magnâ erga matrem DEI obſervantiâ lubens meritoq; præſtitit. Sæpius inculcat hanc viſionem Bellarminus. Et annalium

conditor

conditor Baronius suum theatrum isto spectaculo exornare voluit. Perpendemus istam visionem, hoc professo, quo animum penitissimo amplexui S. Spiritus paramus, quo solennicer de summo isthoc advocato beatitatis nostræ meditamur, quo in fundamenta & robora pia felicitate inquirimus, quibus innixa recumbit fides nostra de tanto bono. Sed & ad hanc crutinam revocabimus istjusmodi visiones alias, in quibus plurimi cruentis atq; turbulentis his temporibus adversus calamitates solatia quæsiverunt & futurorum omina. Videbimus, an sine falsi metu certi esse possimus, quod istarum origo Sanctissimo DEI Spiritui debeatur? Vide nos Domine JESU profusor Sancti Spiritus largissime, illis oculis, quibus in throno tuo positus Ecclesiam tuam, cruore tuo purpuratam vides. Vide nos lumine vultus Tui, ut in Tuo lumine videamus lu-

cem. Vos A. splendidissimi, honoratissimi, audite, more vestro, benevole, æquanimiter.

Gregorius, de cujus Divinâ VISIONE dicturi sumus, Neo Cæsareæ in Ponto ortus, nobilissimis majoribus & parentibus vitæ principium, quantum debetur mortalibus, debet: quorum divitias, magnificentiam, splendorem mundanum, sepulchra, statuas, marmora, inscriptiones & titulos jactare potuisset, nisi supra mundum sese extulisset. Ut dignis nobilissimâ prosapiâ studiis animum imbueret, antequam Christum induisset, Græcanis doctrinis hauriendis & percipiendis barbarorum monumentis operam dedit. Postquam decurrisset Græcæ & Barbaræ Philosophiæ partes & disciplinas, ut erat accuratissimo vigilique ad singula animo, deprehendit iis constare totum illum apparatum contradictionib9 & mæandris, ex quibus mens ad Deũ veram q3

veramque felicitatem eniti nequit. Proinde ad diviniorem sublimioremq; philosophiam animum transtulit, quam tum Alexandriæ Christianorum scholæ professæ sunt. Incidit DEI ductu in Firmilianum Patritium Cappadocem, similem sibi moribus & ingenio, ut ille in sequenti vita ostendit, cum Cæsarienſium Ecclesiæ ornamento fuit. Patefecit huic animi sui consilium & vitæ propositum, quod ad Deum spectabat, deprehenditque, eodem desiderio Firmilianum teneri. Itaq; expeditâ mente relicto omni studio externæ philosophiæ, accesserunt Origenem Adamantium Principem Christianorum Philosophiæ in Alexandria. Ab eo ad fontem salutis perductus noster est, ut mysticâ atq; incorporeâ nativitate imbueretur. Licentiorè Rhetorum scholis hyperbole est, quod Gregorius Nyssenus Episcopus, inter cujus opera extat in vitam

Gregorii Thaumaturgi oratio, ait, illum nullas peccati sordes ad lavacrum sanctum attulisse. Porro ut ad Neocæsariensem Episcopatum admoveretur, Phædimus Amasensium Ecclesiæ Antistes allaboravit. Precibus ardentibus apud Deum obtinuit, ut ad illius civitatis curam conversionemq; suscitaretur Gregorius, in qua infiniti simulacrorum cultores, septendecim vero tantum fuerunt, qui Christo mentem dederunt, ut ab illo nomen acciperent. Hæc ita refert Gregorius Nyssenus, qui insuper, quomodo Visione illustratus fuerit divinissima, hac ratione exponit. Cum sic jugum episcopatus subire coactus fuisset Gregorius, omnibus posthæc, quæ fieri solent solennib9, in eo, peractis, cum exiguum temp9 ad mysteriũ exactius cognoscendũ ab eo, qui sacerdotium ipsi assignaverat petiisset, non amplius carni & sanguini ad hærendum esse & acquiescendum

scendum putabat, sed à Deo sibi occulta manifestari petebat; ac non prius prædicationem sermonis aggredi sustinuit, quam per quandam apparitionem ei veritas revelaretur. Cum enim per totam noctem aliquando de ratione & sermone fidei dispiceret, & specularetur & varias animo cogitationes agitaret; Erant enim nimirum etiam tunc nonnulli, qui piam & sinceram religionis doctrinam adulterarent & per probabiles argumentationes etiam doctis & prudentibus veritatem facerent ambiguam: pro qua tunc ei pervigilem curis atq; sollicitudine nocte agenti, quidam in figura humanâ, facie ac forma senili evidenter apparet, ornatu atq; compositione indumenti augustum quendam, sacrum atq; divinum referens decorem, magnam gratiâ vultus atq; dispositione figuræ præ se ferens virtutem. Hic vero visu perterritus & surgere è lecto, &

cto, & quis esset, cujusve rei gratiâ venisset, sciscitari. Cum autem ille perturbationem mentis ejus submissa voce sedasset, ac dixisset, se jussu divino apparuisse ei, propter eas rationes, quæ apud ipsum controversæ & ambiguæ essent, ut piæ fidei veritas revelaretur, & bono animo esse audito sermone, & cum quodam gaudio atq; consternatione illum intueri. Deinde cum directo ille manum protendisset, & quasi ostenderet ei per directam digitorum protensionem id, quod extransverso apparebat, hic & unà cum directâ manus protensione circumagere suum obtutum, & videre aliud spectrum adversum ei, quod prius apparuerat, infigura muliebri, excellentius quiddam & augustius, quam pro humana conditione. Rursus autem peterritus & facie aversâ vultum demittere ac perplexus & dubitabundus hæsitare de spectaculo, cum oculis appari-

apparitionem ferre non posset. (Etenim miraculum visionis nimirum in hoc potissimum erat, quod cum nox esset obscura, lumen una cum iis qui apparuerant, ei effulserat, quasi aliqua lucida tæda accensa.) Cum igitur oculis ferre apparitionem nō posset, eorum, qui sibi apparuerant, inter sese rationem ejus rei, de qua ambigebatur exponentium sermocinationem audivit. per quam non solum accepit veram cognitionem fidei, verum etiam nominatim eos, qui apparuerant, cognovit, utroq; eorum propriâ appellatione alterum alloquente. Audivisse enim dicitur ex eâ, quæ in muliebri habitu visa erat, qvum hortaretur Evangelistam Johannem, ut adolescenti mysterium veræ pietatis aperiret & declararet: atq; illum dixisse, se paratum esse etiam in hoc matri Domini gratificari, quoniam hoc ei cordi esset. Atq; ita exposito sermone, qui

& rei

& rei quæsitę conveniret, & admodum bene definitus atq; circumscriptus esset, rursus ex oculis discessisse. Hunc autem extemplo divinam illam institutionem atq; disciplinam literis mandâsse, & secundum illam postea in Ecclesia sermonem prædicasse ac posteris tanquam patrimonium quoddam & legatum, divinitę datam illam doctrinam deliquisse, per quam usq; in præsentem diem instituitur illius civitatis plebs, quę ab omni hæretica malitia intacta permansit. Porro mysticę illius disciplinæ verba hæc sunt.

Unus est Deus Pater verbi viventis, sapientiæ subsistentis & potentiæ & figuræ æternę: perfectus perfecti genitor; pater filii unigeniti. Unus Dominus solus ex solo, Deus de Deo figura & imago Deitatis, verbum efficax, sapientia constitutionis rerum universarum comprehensiva & potentia totius creaturæ effectrix, filius verus

verus veri patris, visum effugiens visum effugientis, & corruptioni non obnoxius non obnoxii corruptioni, & morti non obnoxius morti non obnoxii & æternus æterni. Unus Spiritus Sanctus ex DEO ortum & existentiam habens, quiq; per filium apparuit videlicet hominibus, imago filii perfecti perfecta, vita viventium causa, fons sanctus, sanctitas sanctificationis suppeditatrix, per quem manifestatur Deus Pater, qui est super omnia & in omnibus. Et Deus filius, qui per omnia permanat. Trinitas perfecta, quę gloria atq; æternitate & regno non dividitur neq; abalienatur. Hæc à Johanne Evangelista dicta Gregorio, qui à miraculorum facinoribus Thaumaturgi nomen accepit, refert Gregorius Nyssenus. Quid de hac VISIONE statuendũ sit, judicare in promtu est, si reliqua miracula, quæ Gregorio Thaumaturgo in sermone Nysseni

seni Episcopi tribuuntur, recensea-
mus, in quibus & multum vanitatis
& non unum impietatis & temeritatis vestigium conspicitur. Refert Nyssenus Episcopus, Gregorium miraculorum opificem, cũ prætereuntem à solitudine ad urbem versus vesper oppressisset & imber violentior urgeret, unà cum comitibus celebre templum intrasse, in quo qui colebantur dæmones, manifesto se offerre & accedere ad antistites templi & ædituos solebant: quippe divinatio quædam ab illis exercebatur & oraculum edebatur. hos Gregorium Christo invocato fugasse. Antistite autem templi ea de causa cum Gregorio acerbissimè expostulasse & variam violentiam minatum fuisse. Gregorium demum libidini Antistitis tantum indulsisse, abscidisse exiguum quoddam frustum de Codice, inq; id has ad Satanam scripsisse literas. GREGORIUS SATANÆ,
INTRA.

INTRA. his literis altari impositis Satanam in pristinum reversum esse locum. Quantum temeritatis & vanitatis in hoc literario cum Satana commercio Gregorius ostendit, si vera sunt quę scripsit Nyssenus & si veram est, quod hæc scripserit Nyssenus. Refert idem, Antistitem non contentum, Satanæ ad imperium & literas Gregorii reditu, etiam ab hoc postulasse, ut saxum quoddam ingens, quod oculis eorum subjectum prospiceretur, absq; manu humana moveretur, ac per solam fidei virtutem, jussu Gregorii ad alterum locum transferetur, nulla interjecta mora magnum illum statim imperasse saxo, tanquã animato, ut transiret ad illum locum, quem designasset, & sic ad amplexũ Christianismi Antistitem commovisse. Refert idem, Fratres ætate juvenes, in divisione paternæ hæreditatis, circa lacus vindicationem, discordes, in

Grego-

Gregorii Mirandi sententiam compromisisse: hunc ad concordiam eosdem fuisse hortatum & ut communi jure hanc patriæ portionem hæreditatis possiderent, suasisse: illos monitu Gregorii nequaquam stetisse: exercitum utrinque ex subditis comparasse & magno furore ad conflictum cruentum prospexisse: Gregorium vero prævenisse tum tantis cædibus omnem eum lacum instructam & vallatam terram redactum continentem diluculo ostendisse & aridum & humoris adeo expertem, ut ne inconcavis quidem locis aliquis reliquias aquæ haberet, qui ante Sancti Viri preces fusas pelagi instar exundarat. Magnum scilicet ad Ecclesiam momentum fuit; ut lacus amplissimus periret, ne duo furibundi juvenes, nescio ubi terrarum Domini, unde locorum tantum exercitum colligentes, contemtores DEI & Gregorii perirent. Idem refert,

Lycum

Lycum fluvium copiosum & vehementem in Ponto, ex fontibus delabi Armeniæ per impendentes montes largum ei flumen suppeditante, eousq; etiam interdum excrescere atq; intumescere, ut tu forte magno furore ripas & oppositos ruperit aggeres & longe lateq; campos inundaverit, ædes subverterit, animalia suffocarit, homines submerserit. Incolas Gregorio supplices factos, ut aliquo miraculo fluminis impetum coerceat. Illum eo loco, ubi aggeres perrupti horrendas erumpentis fluminis fauces fecerunt, scipionem suum terræ impegisse, illum radicibus in terram actis arborem evasisse, adeò nunc flumini ex angustiis & præcipitiis in planitiem prorumpenti terribilem, ut summis aquis imas arboris radices alluens, rursus intumescens in medio alveum contrahat undas. Sagacissimu profecto flumen, cui radices arboris e baculo

sancto ge-

ſancto genitæ tam amaræ & infeſtæ ſunt. Refert idem, duos Judæos Gregorii Thaumaturgi in miraculorum beneficio diſpenſando ſapientiam tentaſſe, fabulam ita adornaſſe, ut alter ex illis ſe mortuum ſimulans in viam ſeſe proſterneret publicam, alter pro mortui exequiis impenſas & eleemoſynas ſollicitaret, & ea de cauſa, oportunè tranſiturum, Gregorium compellaret; factum verò eſſe, ut ſuper jacentem, diploidem injiceret Gregorius, & cum alter putaret rem ex voto ceſſiſſe & plauderet, mortuum alterum ille deprehenderit & vindicem Gregorii ſapientiam ſenſerit. Refert idem, Gregorio in frequenti cœtu cum admiratione multorum peroranti objeciſſe adoleſcentem, quod Gregorius iſta à ſe ipſo nequaquam diceret, ſed alium aſſiſtentem, qui viſum multitudinis effugeret, inſpirantem ſequeretur; Gregorium verò criminatorem

rē sudario suo injecto confudisse, & ostendisse palā omnibus, ipsum adolescentē dæmonio obsideri: quē etiā mox dæmonio liberaverit. Refert idem, Diaconum Gregorii, quem amor penitius explorandi veritatem ejus famæ, quę de miraculis virtute absentis Gregorii Neo Cæsareæ exhibitis passim increbuit, in ipsam urbem pertraxit, sub vesperam balneum ingressum esse, quod ita terriculamentis nefandi spiritus infestabatur, ut post occiduum solem letalis quibusvis esset ejus aditus, Diaconum tamen inter varia ludibria & spectra maligni dæmonis illæsum Solem Orientem vidisse & è balneo evasisse, illi verò sulfurro quopiam apostatam angelum hoc superadjecisse sub egressum monitum, ne sibi virtutem illam imputaret, per quam perniciem effugisset, vocem enim Gregorii, à quo custodiæ atq; præsidio divino commendatus esset, hoc

ei præ-

ei præstitisse, ut ab incommodis tutus esset. Sane perquam benignum & humilitatis studiosum Diabolum, qui tam opere cavere voluit, ne quod Gregorio debebatur, sibi Diaconus adscriberet. Hæc sunt pleraq; miracula, quæ Vano rumore Gregorio adscripsit turba credula, ex qua in sermonem suum ea transtulit Nyssen9, quem sermonis autorem præscribunt Codices, ob quæ thaumaturgi nomen datum Gregorio: quæ pleraq; sua se vanitate produnt. Id autem insuper efficiunt, ut par visionis cum miraculis credatur autoritas. Sanè miracula illa in quibus dã multo aliter ab historicis aliis proponuntur & auctarium etiam quoddam satis opulentum acceperunt. Ruffinus Aquilegiensis presbyter transtulit historiam Ecclesiasticam Eusebii Pamphili, in qua recensentur Gregoriana miracula, quę in Græco Eusebiano Codice non habentur, aut à

Ruffino

Ruffino ipso, aut quod credibilius, a Monachis sequioris seculi inserta. Quod supra de stagno siccato arculimus è Nysseno miraculum, Ruffini liber pluribus circumstantiis mutat. Nyssenus refert, in procinctu fuisse ad cruentum prælium fratres, collecto exercitu, postquam Gregorii consilium, cujus voto sese acquieturos esse polliciti erant, sprevissent. Ruffinus dicit multoties ante fratres ob stagnum cruentis inter se decertasse præliis & ultimo jam in ipso actu & æstu furentis conflictus stantes deprehendisse fratres illos Gregorium, qui ab illis causam tam truculentarum irarum didicerit. Ruffinus adhæc refert, Gregorium in conspectu omnium virgam, quam manibus tenebat, ad primas litoris undas defixisse, supplicibusq; in cœlum palmis protensis impetrasse, ut præsentibus omnibus unda sese subduceret, abyssisq; suis redderetur, &

arentem

arentem campum fratrib9 jam concordibus relinqueret. Nyssenus autem recenset, noctu illud feciſſe Gregorium, abſentib9 & ad bellum promovendum intentis fratribus, ambobus, mane comparuiſſe demum arens ſolum & aquas eſſe delapſas. Sic & in literis ad Diabolum ſcriptis ſumma eſt inter Greg. Nyſſenum & Ruffinum diverſitas. Ille refert, in Ponto; hic in Alpibus contigiſſe miraculum. Summa medius fidius diſtantia. Ille ait; templum promiſcuè à dæmonibus divinatoribus habitatum, hic Apollinis fanum fuiſſe. Ille, veſpertino tempore, ingruente nocte & imbribus vehementioribus obrutum Gregorium, in iſtud conceſſiſſe templum narrat. Hic, hyemis tempore, in ſummo alpium jugo, cum nivibus repleta erant omnia, eo ſanctum virum divertiſſe refert. Ille, fugatos à Gregorio dæmones, conqueſtú hac de re Antiſtitem & Cæſaris vin-

ris vindictam minatum, Gregorium ultrò literas ad curandum dæmonum regressum in hanc sententiam scribentem refert, GREGORIUS SATANÆ, INTRA. Rufinus ita scribit. Post digressum Gregorii ex more offerre cōsulta & responsa poscere sacerdos accessit; nihil autem inde responsi veniebat. Repetit victimas, silentium permanet. Iterū ac iterum litat, surdis ingerit fabulam. Cumq; stupore novi silentii æstuaret sacerdos, nocte ei assistens dæmonium dicit in somnis, quid me illic invocas, quo jam venire nō possum. Percontanti causam, adventu Gregorii se dicebat expulsum. Quid tum remedii daretur, cum exquireretur, ait, non aliter sibi licere ingredi locum illum, nisi Gregorius permisisset; Sacerdos supplex accedit Gregorium, humanitatis suæ atq; hospitalitatis admonuit, querelam depulsi numinis promit.

„ Ille nihil moratus scribit epistolam „ in hæc verba. Gregorius Apollini salutem. Permitto tibi redire ad locum tuum agere, quæ consueviſti. Sic mitior multo Gregorius Rufini, quàm Nysseni, qui & salutem precatur Apollini. Sed hæc eadem fabula de pulso Apolline Benedicto tribuitur in septimo annalium Tom. à Baronio. A. 529. n. 12. 13. O monstra fabulosæ impietatis. Socrates in ecclesiastica historiâ ait, ista miracula operatum fuisse, cum adhuc Laicus esset: addit, tanquam sæpius id accidisset, quod de pulso dæmone narrant, per EPISTOLAS eum dæmonas fugasse. Nicephorus Callistus Xantopulus in historia Ecclesiasticâ auctarium alicujus adjicit miraculi, quo sese in arborem transformavit, cũ persecutoribus exemptũ se voluisset. Sic fingendi laxatâ semel licentiâ uberrimus miraculorum editur proventus, qui famæ popularis auræ com-

lib. 4 c. 22.

lib. 6. c. 17.

ræ commodatus miranda sumit incrementa. Nyssenus sanè non semel hoc modo deceptus fuit, & falsa Ecclesiæ obtrusit, ut verear, ne, si omnino ista scripsit Nyssenus, in fidei etiam describendâ traditione mirandâ falsus fuerit. Graviter isti simplicitatem credulam aliàs objicit Basilius, in ep. 44. Qui tamen ipse ex incertâ famâ quædam in laudationem Gregorii accersivit, quanquam nusquam, etiam eo in loco, ubi de professione fidei ex professo agit, illâ θεόπνευστον formulam indigiret; secus atq; Cæsar Baronius de eo in annalibus tradit. Quanquam, si scripsisset omnino istum sermonem Gregorius Nyssenus, parum roboris ad tantam rem asseverandum adferret. Floruit Gregorius Thaumaturgus, si Card. Bellarmino credimus, sub Alexandro Severo, Anno Christi 233. quorsum & in eundem etiam collocat Cæsar Baronius

lib. de Sp. c. 29. p. 402.

Scr. Eccl. p. 86.

Chronol. p. 44, T. 2. Annal. A. Chr. 233.

nius. Suffragium tulit his in Chronologia Nicephorus, quanquam in historia sub Gallieno eundem claruisse edisserat: quod & Eusebius tradit, qui Xysto II. Romano & Dionysio Alexandrino eundem coætaneum facit. Utut sit, ses. quiseculo, aut saltem integro seculo junior est Nyssenus, qui in annum 380. à Bellarmino collocatur. Jam quoties eo diverticulo in gravissimis rebus utuntur Bellarminus & Baronius, non posse idoneum facti cujuspiam primum testem esse eum, qui ipso facto, seculo & plus junior est, nisi divini motus præsidio nitatur..., Et quantum intra seculi prolapsum famæ incertæ & lubricæ apud credulum & jactabundum vulgus accrescat, infinitis documentis ostendi posset. Sed & illud indicium est, immemorem fuisse panegyristam seculi morisque eo tempore recepti, quo Gregorius miraculorum opi-

fex vi.

fex vixit. Dicit Gregorium, poſtquam auxiſſet valde Servatori JESU dedicatum cœtum, ad templi fabricationem animum adjeciſſe, cum omnes, offerendo tam pecunias, quã operas ſuas, ſtudium ejus adjuvarent. Templum illud ſeculo etiam Panegyriſtæ oſtenſum, quod magno ille vir ſtatim aggreſſus velut fundamentum quoddam atq; crepidinem ſui ſacerdotii inſtituerit: perſtitiſſe illud immotum atq; integrum, cum horrendo terræ motu reliqua Ponti ædificia collapſa fuiſſent. Nec hoc ſatis erat: memorat Ruffinus, in quodam loco ruris anguſti, cum res poſceret Eccleſiam conſtrui, rupem quandam vicini montis ex parte orientis objectam, alia vero parte præterlabentem fluvium ſpacium, quantum Eccleſiæ ſufficeret, denegaſſe. & cum alius omnino non eſſet locus, omnesq; mœſtitiam gererent, quod ſolum ad conſtruendam

Ecclesiam non haberent, Gregorium igitur fide plenum in oratione pernoctasse & Dominum JESUM promissionis suæ fideliter admonuisse, qua dixit, si habueritis fidem sicut granum sinapis, dicetis monti huic, tolle te, & mitte te in mare, fiet utiq; : cumq; hoc plena fide & devotione deposceret, ad lucē coeuntibus populis inventam esse rupem in parte una secessisse tantum, quantum spatii ad condendam quærebatur Ecclesiam. Atqui si seculum Gregorianum examinaverimus, tantum abest, ut ejusmodi templorum fabricas eo tempore inveniamus, ut potius cryptas, spelunceas, coemiteria, solitudines, nemora, montes, aut etiam ē ligno leviter erectæ fabricę cōtra congressuū sacrorū locum deserint. Origenes Gregorii Magister, ita de Celso Epicureo refert, Celsus ait, nos ararum, statuarum, templorumq; dedicationes fugere, ut occulti fœ-

Mornæus de Eccles. l. 2. c. 1. p. 106.

l. 8. 9. Celsi.

ti fœderis fidem sanciamus hac cen teſſera. Reſpondet autē: Non videt, pro aris nobis esse suam mentem cuiq; , ex qua sursum feruntur verè atq; intelligibiliter suaveolentes suffitq; preces è pura conscientia. Item. Omnes Christiani conantur dedicare aras, & statuas, quales diximus, non sensu & anima vacuas. Quod si etiam templa templis conferenda sint, ut discant Celsi fautores, non obstare nos, quominus templa condantur convenientia jam dictis aris, & statuis, cavere tamen, ne omnis vitæ largitori templa statuamus exanima: audiat, qui vult noſtram doctrinam, quod corpora noſtra templum Dei sunt. Objicientibus nobis, quod non colimus numen in templis sensu carentibus, nos vicissim noſtra templa oſtentamus. Christianus etiam idiota, persuasissimum habet, quemvis mundi locum partem esse universi & mundum uni-

versum esse templum Dei, & in quovis loco precatur, clausis sensibilibus oculis, erectis autem animæ luminibus, atq; ita super totum mundum adscendit. Dionysius Alexandrinus, coætaneus Gregorii, sui temporis morem ita explicat. Nos soli, cum ab omnibus persecutione agitati essemus, & multâ tum morte, festum lætis animis celebravimus, & singula loca ad singula afflictionum genera nobis præstituta fuerunt; ut ager sylvestris, solitudo, deserta, navis fluctibus jactata, diversorium publicum, & horridus carcer opportuna videbantur, in quibus celebres conventus maximo cũ studio ageremus. Tantum aberat eo fere toro intervallo, ut aliquod templum nostris Christianis publicè ædificaretur, ut etiam omnia essent occulta & sacella potius atq; eadem abdita, & plerumq; subterranea, quam apertis in locis & publicè fierent. Cæcilius

Euseb. l. 7. c. 17.

Talyd. Virg. lib. 5. cap. 6.

lius Paganus apud Minutium Felicem Octavium Christianum interrogat, Cur nullas aras habent Christiani, templa nulla, nulla nota simulacra: cum Judæi unum & ipsi Deũ, sed palam, sed templis, aris, victimis, ceremoniisq; colant? Respondet Octavius, Putatis autem nos occultare quod colimus, si delubra & aras non habemus? Quod enim simulacrum DEO fingam? cum si recte æstimes sit DEI homo simulacrum. Templum quod ei extruam? cum totus hic mundus ejus opere fabricatus eum capere non possit. Vixit vero Minutius Felix paulò ante Gregorium, A. Chr. 206. Arnobius, qui sub Diocletiano floruit A. Chr. 285. diu post Gregorium, ita scribit ad gentes. In hac consuetis parte nobis crimen maximum impietatis affingere, quòd neq; ædes sacras venerationis ad officia construamus, non Deorum alicujus simulacrum con-

lib. 6.

stituamus, aut formam & cæterã. Adeò templorum apparatus tempore Gregorii nullus erat. Ita verò Panegyrista loquitur de Gregorio, quasi in media Ecclesia pace, sub umbra Constantini Magni, florentibus Christianorum rebus vixisset. Sanè si sub Alexandro Severo vixit, quis affirmabit, eum fiduciam cõstruendi tẽpli animo cõcepisse, sub ejo imperio, in quo arctissimæ afflictimæq; Christianorũ res fuerunt. Nec ante Valeriani, crudelissimi Christianorũ hostis tempora templi structura impunis fuit. Sub Valeriano verò tanta persecutorum rabies erat, ut ipse etiam Gregorius Ecclesiam suam aut reliquerit, quod Panegyrista parum ad laudem Gregorii confirmat, aut secum ad solitudinem rapuerit. Sub Galieno cœmiteriorum restaurandorum facta licentia & data venia templorum autem operosa structura vetita planè fuerat. Ipsam verò SS. Trini-

Vide Hospinianũ de Templis cap. 5.

SS. Trinitatis confessionem & mysticam de S. Spiritu Doctrinam, quæ Nysseno panegyristâ S. Johannes jussu DEI paræ Virginis Gregorio tradiderit, plurima sunt, quę suspectam reddunt. Principio magnum est de ea in veneranda antiquitate S. Ecclesiæ silentium, quod tamen sine ingenti damno & summo probro Ecclesiæ esse nec debuisset, nec potuisset, si tantum eam promulgasset miraculum. Eusebius, qui honorificam & religiosam planè S. Gregorii facit mentionem, illius symboli ne verbulo quidem meminit. Nam quod in Eusebii versione Ruffiniana legitur, manifestè adulterinum est & illatitium. Codices omnes Græci & hodierni Latini Eusebiani tale nihil habent. Nec Baronius aut Bellarminus ausi fuerunt Ruffinum nominare sui miraculi testem. Si ipse Ruffinus assuit istas fabellas Eusebio, non est, quod in ipso facinoris audaciam mirem-

mur,

miremur, cum talium plus vicies eum reum faciat Baronius, avidq; cæterum fabellarum tutor. Si alius, tanto mendaciuni magis est rejiculum. Nec Socrates, qui quædam Gregorii miracula annotavit, cœlitus datæ meminit mystagogiæ. Athanasius Alexandrinus Episcopus, fortissimq; cœlestis militiæ contra Arianam perfidiam Dux, cum summo suo emolumento atq; præsidio ista revelatione uti potuisset, ad mysteriorum violatorum patrocinium, nullibi eandem introducit. Non latuit ea S. Dionysium Alexandriæ præsulem, coætaneum Gregorii, antecessorem B Athanasii, si talis quæpiam fuit. Atqui maximè ignoratam fuisse illam oportuit, quæ Alexandrino Athanasio ignota fuit, qui & amico Gregorii successit & non integro seculo à Gregorio distitit. Quot vicissim scripta sua illo cœlesti oraculo roborare & irradiare potuisset, si

idem

idem vix seculo ante è cœlo Ecclesiam illuminasset? S. Hilarius magna contentione pro SS. Trinitate pugnat, sed illud totum è Gregoriana visione nescit. Phœbadius Agennensis, è nobilissimo commilitio Athanasii & Hilarii, contra Arianos, pariter illud arcanum ignorat. Ipse Basilius Nysseni frater nullibi visionis mirandæ meminit. Quæ namq; ex Basilio notat Baronius, non ad visionem, sed ad traditionem cœlestis doctrinæ factam Neocæsareensib. pertinent, nullo sanè indicio sublimis illius visionis miraculum confirmat. Quid de Gregorio Nazianzeno, Gregorii Thaumaturgi cultore & admiratore maximo dicam? Numquam ille tot disputationibus contra Arianorum pertinaciam editis tacuisset rem omnibus seculis memorandam atq; propagandam, sino divini pignus, chori beatorum sapientiam, visionem illam, si illis temporibus

de Sp. S. & Ep.

poribus quicquam de ea constitisset. Idem statuamus de Ambrosio, Hieronymo, Chrysostomo, Augustino & aliis veteris Ecclesiæ doctoribus, vetustioris observatoribus, divinarum revelationem custodibus. Quod vero singulis Doctoribus ignorum fuit, etiam amplissima atq; Universalia Ecclesiæ sanctæ Concilia latuit. Quantum momentum illud Johannæum oraculum attulisset apud Constantinum Cæsarem contra Arium, in Concilio Nicæno, si certa fuisset ejus veritas? Non potuisset validiori machina, non autoritate majori concuti Arius, quam si id indubitato certum fuisset, quod Gregorio Thaumaturgo apparuisse dicitur. Potuisset Sardicensis pro Athanasio Synodus, potuisset pro eodem contra Arianos occupata & Hierosolymitana & Alexãdrina pulcherrimo monumento triumphare contra adversarios veritatis, si ille cœlitum cum

tum cum Gregorio sermo habitus fuisset. Constantinopolitana Oecumenica Synodus, quam Sapientissimus Theodosius ad hæresin Macedonii oppugnatoris Sancti Spiritus coëgit extirpandam, quam urgere hostes innocentissimi & benignissimi Flaminis illo Gregoriano spectaculo potuisset, si certa & divina fuisset ejus autoritas? Nec verò vel Ephesinæ vel Chalcedonsi synodis amplissimis illis & universalibꝰ contra Nestorium & Eutychem arma ex hoc Gregoriano oraculo defuissent, nisi ipsum ea ætate defuisset. Leontius Scholasticus Constantinopolitanus meminit, Eutychianos semper in ore habuisse autoritatem quandam Gregorii, ex confessione illius seorsim expositâ, quam de Christo dixerit: Non duas personas, non duas naturas, quia non sunt adoranda quatuor. Si certa fuisset hæc divinitus patefacta ejus confessio, quan-

Act. 8. Est in appēd. Bibl. Patrū Margur. Bigneī.

sio, quanta facilitate Eutychianis Orthodoxi respondere potuissent. Baronius objicit, Constantinopolitanam Synodum, quæ quinta Oecumenica vocatur, hujus visionis facere mentionem. Neq; vero vel sessionis vel actionis synodicæ meminit. Invenio mentionem hoc semel factam Gregorii, sed Theologi, Episcopi Nazianzeni, non Romani; nec visionis ullum invenio vestigium. Objicit demum, Gregorii Noni Legatos ad aulam Constantinopolitanam, contra Germanum Juniorem Patriarcham eo missos, Gregorium visione sese defendisse, laudare monumentum hujus allegationis in Registro Vaticano. Sed profectò Lynceum esse oportet, qui hic veritatem velit conspicere. In certaminibus vero de processione Sancti Spiritus à Patre & Filio non incommode se potuissent visione Gregoriana uteri, qui ex Græcis etiam contra Græcos verita-

veritatem sanctę fidei amplexi sunt, si ea esset illius ratio, quã jactant Romanenses. Eminent inter illos duo Emanuel Caleca & Gennadius Scholarius, quorum illum è veteribus chartis in lucem edit Jac. Gretserus, hunc Fabius Benevolentius, uterq; magno catalogo contexto ex consensu priscæ Ecclesiæ Dd. sese instruit: Neuter tamen hujus visionis meminit. Deinde quanquam confessionis unus alterve scriptorum mentionem injicit, exigua tamen est cum Panegyrista concordia. Nicephorus Callistus Xantopulus refert, Matrem DEI apparentem, per Johannem Evangelistam exhibuisse. Panegyrista vero Nyssenianus affirmat, B. Johannem claro quidem & optime composito sermone illam fidei formulam promulgasse, ipsum autem Gregorium ad cœlos reverso B. Johanne demum divinam illam institutionem ac disciplinam literis mandasse. *lib. 6. c. 16.*

mandasse. Ruffinus Symbolum cœleste habet, quanquam aliquantisper à Nysseniano, si versionem Laurentii Sifanii Brunsfeldii conferas, discrepet. Non verò meminit Ruffinus, illam confessionem sigillatim divinum agnoscere principium. Insuper monstrum alit ista Panegyristæ narratio, cum statuit Johannem Evangelistam & Matrem Domini juxtà in terris comparuisse. Nam primum illud indicat, animas, postquàm semel corporis fragiles exuvias posuerunt & immortalibus gaudiis mixtæ Deum comprehenderunt, regredi in has oras, hæc secula, hoc miseriarum habitaculum & se beandis ex divino imperio ostendere, certis deniq; oraculis æternorum bonorũ perennitatem commendare. Ejus modi verò λειτουργικὰ πνεύματα, ejusmodi divinarum expeditionum Legatos esse sanctos homines in cœlis triumphantes, tota ignorat scriptura.

Chrys. hom. 29. in Matth Garth. T. 8. pag. 548.

ptura. Deinde, matris Domini quoddam supra sanctos universos imperium, quandam supra sanctos DEI Apostolos dominationem stabilit. Ait namq; Panegyrista, cum in muliebri forma apparens spectrum hortaretur Evangelistam Johannem, ut Gregorio mysterium veræ pietatis aperiret & declararet, respondisse Johannem, se paratum esse, etiam in hoc matri Domini gratificari, quoniam hoc ei cordi esset. Ejusmodi verò Mariarchia in sanctos nullo fundamento æternæ veritatis nititur. Tertio sanctarum scripturarum sapientiam inexhaustam, lumen simplicissimum, flumen perenne, regulam perfectissimam, sufficientiam dulcissimam, amplitudinem liberalissimam in dubium vocat ista nova revelatio. Quasi vel ipse B. Johannes in divinis suis monumentis, quibus aquilina acrimonia, oculis æterno Spiritu plenis cœlorum adyta perspecta

spectra humano generi manifestavit, officio suo defuerit, ut extra ordinario itinere Gregorii scrupulis medicina afferenda fuerit. Quarto viam quandam sternit ad desiderium angelicorũ colloquiorum, confabulationum cum cœlitibus, & ejusmodi avia, quorum ingressus ipsum præcipitium est. Expertum est seculum nostrum hanc desideriorum nostrorum audaciam, qua semel conceptâ omnium errorum patet janua & transitus ad tenebrarum DEUM in proclivi est, qui fallacissimas lucis vestes habet, & se Johanne sapientiorem atq; Maria sanctiorem comere potest. Quinto Hagiolatria & Mariadulia sub hoc phantasmate latet. Hoc unum enim quæritur istis visionibus à mangonibus corruptæ disciplinę, ut homines istis cum personatis sanctis cœlitibusq; suavius congressi, in venerationem & affectum sublimioris cultus rapiantur & honorem,

norem, quem principi æterno veritatis debent, cum participibus concessæ felicitatis partiantur. Tandem & ordinatorum ad salutem nostram mediorum tædium istâ visionis hypobolimeæ jactantiâ efficitur. Esto Basilius quispiam, oraculorum divinorum scriptorum diligentissimus cognitor, vehementis ad pietatem incendii, sapientia multifariâ conspicuus: Esto Gregorius quispiam Nazianzenus, eloquio suavissimo potens, cœlesti philosophia plenus, totus contra Julianos tyrannos, totus contra Arios hæreticos: Esto Magnus quispiam Athanasius, his omnibus adminiculis pro Deo suo promptus, non vero possit ejusmodi visionem ostendere, qualem Neocæsareæ fidit Gregorius Thaumaturgus, patrum ille quidē apud curiosos & miraculorū pruritu inflāmatos effecerit. Nihil apud hos profecerint Prophetarum & Apostolorū plenissima monu-

monumenta, nihil mysteriorum preciosissima deposita. Cœlum reserandum, advocandus Evangelista Johannes, Mater DEI filio suo aliquantisper subducenda, miraculo excitandus torpor! Nova planè mystagogia cogitanda. Satis opinor manifestum est, quomodo Herculem atq; Jolaum, pitulatorem atq; subsidiarium præter Deum invocare discant, qui hanc visionem Gregorii incautius depereunt. Et hunc scopũ habent principem duo Cardinales, propter quem, quamvis in diversa arena, istam tanto apparatu ostentent. Atqui latere non potest fallacia, passim quibusdam vestigiis se prodit. Illud sanè probè observandũ est, S. Gregorio tribui, quod à Deo sibi occulta manifestari petierit, & præsidenti sub conditione quidem, se namq; prius, quam per quandam apparitionem veritas revelaretur, prædicationem divini sermonis nol-

le aggre-

le aggredi. Seraphinus Firmanus Canonicus Regularis Lateranensis, Antonio Possevino judice, divini verbi suo tempore Concionator insignis, aliquot scriptis evicit, revelationem secretorum divinorum immediatam non leviter aut curiosè esse petendam. Improbat etiam appetitionem apparitionis alicujus è sanctis cœlitibus. Etiam revelationes hujusmodi per aliquem Spiritum aliove modo oblatas debere recusari, consulit. Nec hoc displicere debebat Cardinalibus. Illi tamen apud Panegyristam legunt, aliquem magna cum insolentia petentem divinam revelationem & apparitionem, satis sanè curiosè & parum graviter, in eo Divinæ sapientiæ capite, quod magnis validisq; firmamentis in divinis literis munitum est, nec suspicari possunt, Sancto Gregorio illa postulata non competere & præter jus fasq; adscribi. Sed illi ad arbitri-

um nargs

um nares obturare, oculos claudere norunt, & ubi suspecta sunt omnia, Deum, cœlum, sanctos, tuta omnia collocare. Verum enim vero intueamur illam Olympiacam aut rectius hypobolimæam revelationem penitius & cum seculorum controversiis conferamus! Nonne videbimus satis luculenter, ita eam concinnatam esse verbis atq; sententia, ut Ario & ejus furoribus opponenda sit & opposita fuerit. Quanquam enim, si ex Latini interpretis verbis æstimetur, quædam incommodius posita esse videantur, si tamen ex Græcis judicetur, apparebit, eam copiosius & clarius non nulla edisserere, quam in ipso Nicæno symbolo expressa sunt. Habet sanè expressum SS. Trinitatis nomen, quod in Nicæno symbolo verbotenus expressum non est. Illud etiam evidens est in illa revelatione: quod Trinitas perfecta dicitur, quæ gloria & æternitate & regno non dividi-

dividitur. Ita etiam Pater, Filiusq; cum Spiritu Sancto in ea describitur, ut si ὁμοσσίας vox adesset, Ario validissimè illa opponeretur; imò satis validè opponatur, si sese antiquitatis aliquo consensu tueri posset. Eo ipso verò, quia tanta luce & terminorum etiam Ecclesiasticorum expressione sese opponit Ario, satis indicat prudentibꝰ rerum æstimatoribꝰ quod nō senior sit Ario, aut fortassis etiam junior. Atqui ille integro seculo distat à Greg. Thaumaturgo. Non est a. insolens Gregorio Thaumaturgo adulterina scripta tribui. Leontius scholasticus Act. 8. contra Eutychianos scribit, nullum opus Gregorii in hominum manibus superesse, præter solam fidem, quam in visione conspexerit. Antonius Possevinꝰ in apparatu plurima alia enumerat, quæ & Gerardus Vossius uno edidit volumine: nec dubitamus, quin feraciſſimæ Jesuitarum

officinæ plura deinceps daturæ sint. Photius sane Constantinopolitanus Patriarcha in bibliotheca, in qua Græcorum inprimis Patrum opera Critico plane recensuit calamo, nullius opusculi Gregorii hujus, quod suo quidem seculo supereſſet, mentionem fecit. Apparet, A. Ipleni dissimi & honoratissimi, ex illustribus illis documentis, quam lubrica sit fides illius visionis revelationisq; divinæ, quæ Gregorio Thaumaturgo facta dicitur. Exosculamur & intimis cordium penetralibus cum jubilo possidemus S. & individuam Triadem, Unigenitum ab æterno Filium, Sanctissimum a Patre & Filio Spiritum, huic uni Deo immortali, invisibili, summo nos totos consecramus. Malumus autem pro fulcimento & robore hujus penitissimi complexus habere firmissima illa & citra controversiam divina scripturarum volumina, quam visiones ejusmodi, quæ tam incerto

incerto atq; ambiguo itinere ad nos devolutę sunt. Et quę in veteribus visionibꝰ atq; revelationibꝰ usurpanda est prudẽtia, eadẽ nostri seculi visionibus quoq; adhibenda est. Nolo jam Pontificias & pontificiis erroribus subministras in medium producere & traducere, quas contrarias sæpe ipsi in aciem producunt, quod ex vehementi conflictu Franciscanorum, Jesuitarum & Dominicanorum coram summis Pontificibus Paulo V. & Gregorio XV. eluxit, cujus ideam habemus in legatione Hispanensi. De illis visionibus loquar, quas in nostra Ecclesia publicari cõspicimus, quarum fœcundus admodum est proventus & jactatio plurima. Sunt sanè, qui sibi videntur se divinitus id videre, quod in votis fovent, & in effectu lubentissimè viderent: qui ad vulgi spes suas attemperant visiones & valde obœdientem ad plausum populi habent spiri-

rum: qui postquam inter solatia atq; suspiria per varia pericula fatigarunt animum, tandem in visionum atq; revelationum pulvinari suaviter obdormiunt. Temerarius foret sane, qui omnes visiones in fabularum censum collocaret. Visiones, quarum mentio in libris Canonicis veteris & Novi Testamenti, ut certissimas & ad fidei sanctorum confirmationem variis modis & personis à Deo exhibitas, pii omnes recipiunt. Post Christi in carne manifestationem & Apostolorum prædicationem, in Veteri Ecclesia, non paucis visionibus recreati sunt fideles, inter tot tentationum & persecutionum æstus, prout Christo Ecclesiæ Regi visum est, suos ad perleverantiam animare: nec desunt postremis his temporibus illustrium visionum exempla, quanquam non ita ut olim frequentia. Illud verò deplorandum est, quod inter pios illos veteres

teres non pauci ad visiones magis, quam ad longè antea manifestatum verbum fuerint attenti. Unde factũ est, ut tandem relicta Christi voce, in scriptis Propheticis & Apostolicis dulcissimè sonante, ad otiosorũ, deinde superstitiosorum, ac tandem profanorum & impiorum hominũ fabulas aures adverterint. Deprehendimus sanè in visionibus, quas sanctissimi etiam Patres Cyprianus, Antonius, Athanasius, Augustinus & alii de se annotarunt, longè minus lucis, roboris, ponderis, & virtutis ad mentes hominum percellendas esse, quam sit in illo Codice, quem Dei mente & motu conditum, longa seculorum serie, velut sanctam helicem venerata est Ecclesia. Itaq; paucis tandem constituamus, quid de visionibus pronunciandum, quomodo amplectendæ, aut repudiandæ, an omnes spiritum sanctum autorem monstratoremq; habeant.

Sunt visiones primum, quorum universus apparatus, omnia ornamenta, tota compositio eo spectat, ut novum & peregrinum aliquod dogma eo comitatu, illis munimentis, illa armatura sive gratius sive fortius appareat in Ecclesia & Deum quærentibus occurrat. Ejusmodi spectaculum protinus aversis oculis rejiciendum & fere inter Satanæ ludibria ponendum est. Habemus divinæ conditorium veritatis, thesaurum fidei plenissimum, theatrum æternæ sapientiæ, sacras literas. Ibi videmus sine fallacia, legimus sine errore, judicamus sine ancipitio, quicquid ad salutis æternæ immortalia bona disposuit benignissimus Deus. Non debet tanta esse cujusvis blandientis imaginis species, ut nobis quicquã persuadeat, quod in illo speculo religionis & amori Divini contueri non possumus. Visiones neq; legis neq; testimonii vim habent, ut nobis ingerere

gerere aliquid possint? quod legis & testimonii instar veneremur, per quod matutinæ lucis usuram capiamus, per quod phosphorum immortalitatis, cujus illuminatio tenebrarum vices excludit, orientem in pectoribus nostris videamus, gaudeamus. Quotusquisq; hæreticorum stibio mirandarum visionum suos non pinxit & adulteravit oculos. Quem omnis veritatis stabiliendæ ratio destituit, ille intra visionum candicantem quandam & apricantem nubeculam sese abdidit, ut impostura tegeret. Quasi ex nutu & imperio cujusvis erronis sistere se cogeretur Sanctus Dei Spiritus, aut cœlestis hierarchiæ civis quispiam & cœlestia peristromata induere turbulenti capitis somniis. Quam fraudulenter quæso & suaviter Antichristianismo prælusum est visionum multiplicibus ludibriis, quibus hoc unum sane actum fuit, ut visio-

nibus istis Christus nobis invisus, imò nos Christo invisi redderemur. Nonne promachi & pyrgopolinices illius, qui se grandibus jactant voluminibus, multas paginas fuliginibus cachecticorum Monachorum & visionibus implent? Et ut cæteris autoritatem atq; fidem concilient, etiam circa thronum Deitatis Christi & S. Spiritus VISIONES tanquam robora & præsidia quædam collocare non erubuerunt. Atqui si visionibus indulgemus tantum potestatis, ut sua quadam autoritate atq; lege constituere religionis articulum aut caput possint, neq; modus neq; finis novorum erit oraculorum. Quibus præsidiis novum religionis Christianæ sacrificium Missa, flagrare cœpit in Ecclesia, flagravit autem falso visionum igne; quibus machinis Purgatorium animarum igneum ædificatum est, stat a fraudulentis visionum columnis; quibus pessulis homines in claustris atq; secessibus à mundo

separantur, at autoritate blandientis visionis divortium fecerunt, quibus pigmentis alia monstrosa sese pinxerunt dogmata, nitent verò falsa visionum luce; iis præsidiis, machinis, pessulis, pigmentis quævis opinionum quantumvis horrendarum deliria defendi, strui, obfirmari, colorari possunt. Sunt deinde visiones, quæ non novo dogmati subornando, sed prisco & in Ecclesia magna asseveratione ex cœlestibus oraculis credito suffragantur: quarum radii atq; lumina cum perenni luce cœlestis veritatis amicè conspirare videntur. In his visionibus perspiciendis & dijudicandis summa opus est prudentia, ne quid temerè aut periculosè pronunciemus. Consideranda est universa visio cum toto apparatu atq; ornatu suo, & cum illis revelationibus conferenda, ubi extra controversiam est, velum sapientiæ divinæ ipsum sanctum Dei summo-

visse spiritum. Perpendenda videntis persona, vita, religio, universa denique conditio. Scopus etiam, in quem oculorum suorum radios conjecit fortean visionis illius manifestator, animadvertendus sapienter. Et seculi ingenium atque Ecclesiæ in eodem coruscantis habitudo ponderanda. Fieri potest ut nulla necessitate urgente, vanissimo quodam animi fastu & impetrandæ cujusdam sanctitatis opinionis spe visiones & apparitiones jactet ille, qui nullo alias erroris infamia sese separavit ab Ecclesia, imo ipsas suas visiones substernit verissimis Dei placitis. Fieri potest, ut ipse animus humanus pro temperamenti & circumstantiarum varietate miris interdum occupetur imaginibus. Fieri potest, ut invisus Deo & sanctis, tenebrarum Princeps, angelicæ lucis habitu etiam manifestam veritatem jucundissimo quodam & lucidissimo spectro confirmet sed ut aliis visionibus, quibus er-

rores tegit, viam sternat & fidem faciat. Proinde Visiones quævis non illico pro divin. & quibus falsus aut adulterinus color subesse nequeat habendæ sunt, quantumvis veritati cœlesti blandiri & suffragari videantur, quantumvis illustribus sese indiciis commendent. Imò nulla visio privato judicio in eum thronum collocanda est, in quo posita sunt divinitus ea oracula ex quibus sine errore ac defectu fidei hauritur veritas. Postquam enim semel per orbem propagata est Ecclesia, & Rex cœlorum mirandus illa propagandæ Ecclesiæ semina, summis miraculis circumvallavit & illustribus visionibus fœcundavit quasi, jam non amplius novarum divinarumque visionum spes divinitus facta supersest nobis, quibus Canon sapientiæ salutaris constitutus est plenissimus. Veteris cum Abrahæ gente icti fœderis alia fuit ratio. Illud enim frequentissimas divinas visiones ideo agnoscere

debuit, quibus novo fœderi quasi præludendum fuit, quod clarissimis divinis promissis à majoribus acceptis fideles expectabant. Diserta est B. Augustini in hac causa pronunciatio. Utrum ipsi, (Donatistas intelligit) Ecclesiam teneant, non nisi divinarum scripturarum Canonicis libris ostendant: quia nec nos dicimus propterea nobis credere oportere, quod in Ecclesia Christi sumus; quia ipsam quam tenemus, commendavit Milevitanus Optatus, vel Mediolanensis Ambrosius, vel alii innumerabiles nostræ communionis Episcopi, aut quia Collegarum nostrorum Conciliis ipsa prædicata est: aut quia per totum orbem in locis sanctis, quæ frequentat nostra communio, tanta mirabilia vel exauditionum vel sanitatum fiunt, aut quia ille somnium vidit & ille Spiritu assumtus audivit, sive ne iniret in partem Donati, sive ne recederet in partem

de un. Eccl. contr. Petil.

Dona-

Donati: Quæcunq; talia in Catholica fiunt, ideò sunt approbanda, quia in Catholica fiunt, non ideò ipsa manifestatur Catholica, quia hæc in ipsa fiunt. Sunt insuper visiones, quarum summa eò collimat, ut defectus quosdam in hierarchia Ecclesiastica corrigat, ut de recta Ecclesiæ administratione querelas moveat, multos etiam, quibus lux Evangelii affulsit plenioribus radiis, quos ab erroribo variis eduxit cœlestis benignitas, variis oneret accusationibus, quibus simplicibus & incautis persuadetur, tot visionibus monitos Ecclesiæ Antistites aliter res sacras debere constituere. Atqui ad hanc rem nullis opus est visionibus. Habemus universam Ecclesiæ hierarchiam pulcherrimè sacris expositam literis, omnia illis sunt explicata & media conservandi & remedia corrigendi. Nulla visione illa depingi & confirmari possunt luculentius. Si insuper vete-

veteris puræq; Ecclesiæ praxin observaverimus, pulcherrimam administrationis Ecclesiasticæ habebimus imaginem. Verum enimvero istiusmodi Videntes novi plerumque alio morbo laborant, quem profiteri, nisi præeuntibus istis querulis visionib⁹, non audent. Per quas ubi semel concedimus onerarunt diligentes cœlestis depositi custodes, facili transitu errores suos promovent. Pariter & visiones sunt, quibus Magistratus de administratione sua monetur, quib⁹ de coercenda licentia scelerum querelæ movētur. Sed nec in hoc ordine vitæ humanæ nunc visiones sunt necessariæ. Validè constituta est ex Dei autoritate, & jure Civilis administratio. Tabulis divinis expositus clarissime ille ordo, monita quoq; præsto sunt innumera, quibus omne id & plus longè ingeritur Capitibus reipublicæ, quod visiones monent. Et nemo non videt, quam ad seditiones

nes atq; turbas per visiones pessimus quisq; grassari facile possit. Itaq; in hoc etiam capite non satis tuta est visionibus libertas. Sunt denique de futuris rerum eventibus, mutationibus regnorum, tyrannorum casibus, impiorum pœnis, prolapsorum vindicta visiones fere omnium frequentissimæ. Nam in talibus, ut quisque plurimum aut passus est aut sperat, ita suavissimè sibi blanditur & multa permittit. Habemus vero de regnorum conversionibus & fatis Ecclesiæ tam sanctorum quam malignantium oracula divina clara & plena. His stare & plenissimam per experimenta interpretationem expectare tutissimum est. Qui præter illa hoc seculo aliquid vident, divino relinquendi sunt judicio, & eventui, qui plurimos sane videntes fallos fecit. Nulla certe habemus alia media, quibus ad divinam eorundem spectatorum autoritatem deprehendendam tuto

tutò pervenire possimus. Niti verò velle in magni momenti re, ex qua sive Reipubl. sive Ecclesiæ salus pendeat, ejusmodi visionibus, & à veræ prudentiæ regula atq; sacrorum monumentorum præscripto declinando audere quippiam insolens & arduum, id verò periculosissimum & pernicioſissimum est. Itaq; quæ vera sunt in visionibus, ut objurgationes, castigationes, periculorum minæ, alia, amplectamur, non propter visionum autoritatem, sed propter rei certitudinem. Quæ inaudita sunt, ea ad sacras literas, divinas atq; infallibiles visiones, conferamus. Si concordant, rursus non ex visionibus novis, sed veteribus ad finem moveamur. Si discrepant, quantocyus rejiciamus, quicquid in illis nobis depingitur. Ubi autem in neutram pronunciare partem liquet, Deo eventus largitori & sapientissimo interpreti id omne permittamus.

mus. Generatim autem in hodiernis visionibus observare licet, quod magnam à priscis sanctisq; ostendit discrepantiam. Visiones divinæ sunt majestatis plenæ & magno quodam horrore videntem afficiunt & ipso suo obtutu pectori persuadent de Dei præsentia. In hodiernis visionibus notare licet plurimas ineptias & pueriles planè imagines, in quibus puelli etiam gladiolis armati, saltitantes, vitta pastorali tecti & lusitantes scenam implent. Visiones divinæ stilo gravi & percellenti consignatæ sunt, & qvamvis rudibus autoribus dictatæ divinam tamen spirant eloquentiam. Pleræq; visiones hodiernæ ipso scriptionis charactere inepto & nihil divinitatis spirante, suam causam produnt. In visionibus divinis id explicabatur plerisq;, ad quod nulla vel sapientia vel prudentia humana penetrari poterat. Hodiernæ visiones in illis rebus versantur, quæ

vel

vel in causis suis & primordiis multum de futuris successibus ostenderunt, vel in omnium votis & consiliis sunt. Nihil in visionibus veteribus est, quod ulla falsitatis macula unquam conspersum fuerit. In novis hujus seculi visionibus mendaciola non raro comparent. Videntes divini DEO gubernationem doni Prophetici & visionum permiserunt. Hujus seculi videntes ex visionibus mercimonium faciunt & lucri causa divinationem sequuntur. Sunt plura alia, quæ visionibus ejusmodi eam auctoritatem detrahunt, quam postulant. Nos Doctorem Ductoremq; Spiritum sanctum habemus, qui per beata S. literarum oracula non sine miraculo nos felicissimè gubernat.

„ Ergo adesto sancte Spiritus, ita
„ precamur in hac solennitate cum
„ Cypriano martyre, & paracletin tu-
„ am expectantibus illabere cœlitus,
„ sanctifica templum corporis nostri
& con-

& consecra in habitaculum tuum „
desiderantes te animas tua præsentia „
lætifica, dignam Te habitatore do- „
mum compone, adorna thalamum, „
& quietis tuæ reclinatorium circum- „
da varietatibus virtutum, sterne pa- „
vimenta pigmentis, niteat mansio „
tua carbunculis flammeis, & gem- „
marum Splendoribus & omnium „
chrismatum intrinsecus spirent odo- „
ramenta, affatim balsami liquor „
fragrantia sua cubiculum tuum im- „
buat, abigens inde quicquid tabi- „
dum est, quicquid corruptelæ semi- „
narium! stabile & perpetuum hoc „
facias gaudium nostrum & creatio- „
nis tuæ renovationem in decore im- „
marcessibili solides in æternum. Ita „
nos videas benignissime Spiritus, qui
omnia vides potentissimus DEUS.
Vide etiam, fragrantissime Solator,
Ecclesiam Jesu Christi, cœlestis Spon-
si, quite unguento perfusa est, quam
invisa ea sit mundo Satanæqi, quan-
tis

tis eam hic hostium truculentorum cuneus vulneribus sauciam, cadaveribus tristem, tormentis fatigatam, erroribus & periculis subactam fecerit. Da ut serenato tandem vultu mysteria Tua florere videat & sureulos suos ad tui visionem propagandos tranquilla plantare possit manu. Vide Rempubl. laceram, cruentam, turbulentam, inopem. Radiis pacis, prolis tuæ, exhilara eam & nova felicitate restaura. Vide tyrannos sanguisugas vastatores & flammantibus tuis oculis compesce. Fac, ô amor summe, ut in nobis Te videamus, & in sanctorum cœtu tua mysteria exosculemur, ut tandem ad felicitatis universæ verticem exscendamus & ad visionem S. S. Trin. claram illam, illam opulentam, illam summi boni januam, illâ claritudinis nostræ matrem admittamur. Ut te cum Patre & Filio, unum Deum, summum bonum, visibile invisibile, beatissimum princi-

principium æternum videamus. Tibi, sancte Spiritus, lux summa, amor æterne, sit gloria, tibi benedictio, tibi honor noster perennis! Amen.

AD DISSERTATIONEM VII. PROGRAMMA.

PRO-DECANUS
FACULTATIS THEOLOGICÆ IN
UNIVERSITATE ARGENTORATENSI
JOHANNES SCHMIDT,
SS. Th. D. Prof. Ord. & Conventus Ecclesiastici Præses

Lectoribus cœlestia Sp. S. χαρίσματα!

PRodit *ferreis armatus cornibus*, insigni fastu & arrogantia *Zidekia*, splendido nomine *justus*, operæ Archibaalita, Pseudo-Prophetarum Coryphæus, adeoq; juratus omnis justitiæ, pietatis & religionis hostis, 1. Reg. 22, 24. & 2. Chron. 18, 23. & *Dei virum Michæa* cœle-

cœlesti afflatu oracula de futuris rerum eventibus promentem, *alapis contumeliosè cædens, mene*, inquit, *dimisit Spiritus Domini, & locutus est tibi? per quam viam transivit à me, ut tibi loqueretur?* Profectus paucis ante diebus Hieroſolymâ ad Achabum Regem Iſraelitarum (hominem ſceleratiſſimum *venundatum, ut mala præ omnibus aliis faceret in conſpectu Domini*, 1. Reg. 21. 20. & 25.) Joſaphat Rex Judæ, cætera laudatiſſimus, ſed, quod ſe familiamq; ſuam impio Achabo, accepta primogenito ſuo Joramo filiâ ejus Athaliâ uxore, conjunxiſſet affinitate, graviter lapſus (liquidem plurimorum & maximorũ malorum illud conjugium extitit occaſio, unde ſunt, qui conjiciunt, hanc fuiſſe cauſam, ob quam Syracides ipſum *Regibus Judæ, qui non peccarunt*, annumerare noluerit, cap. 49. 5.) magnificè ſplendideq; fuerat acceptus, mactatis ovibus & bobus, lautiſſimoque inſtructo convivio, 2. Chron. 18. 2. ſed non ſine dolo: ſtatim n. & fortaſſe inter pocula, cum ad in eundum bellum & ſocianda contra Regem Syriæ ar-

ma

ma Achab invitârat verbis blandissimis: *veniesne mecũ ad prælium in Ramoth Gilead?* Annuerat inconsiderato assensu ac nimis sese præbuerat facilem Rex incautus & imprudens, nec divinarum legum, nec fœderis à parente Asâ cum Syris sanciti, nec periculorum inde impendentium habitâ ratione, & dixerat: *Sicut Ego sum, ita & Tu, populus meus & populus tuus unum sunt, & equites mei equites tui.* Magna præcipitatio! cujus tamen Josaphatum paulò post, sed tardius pœnituit, unde ab Achabo petiit, ut *verbum Domini consuleret.* Morem gesserat Achabus, sed non ex Josaphati voto: nequaquam enim veros Prophetas, qui DEI verbum proferrent, sed Baalitas suos Idololatras, mendacissimi Satanæ mancipia, & magno quidem numero, quadringentos circiter, convocarat, qui omnes unò ore, quamvis ambiguo & ἀμφιλόξῳ sermone felicia, fausta, exoptata, uno verbo certam victoriam nunciarant. Quæ res cum Josaphato non parum trepidanti suspecta fuisset, non acquieverat prius quam aliquis verus

rus DEI Propheta adduceretur. Vocatus itaq;, licet Achabo invito & aliquandiu tergiversante, *Micha* Filius Jemla fuit, qui, ut de bello jam decreto suum aperiret consilium monitus, primum quidem ipse etiam *ascendendum esse in Rameth, fore enim, ut omnia prosperè peragantur*, sed ironicè, Regem & pseudo Prophetas tacitè ridens, suasit: mox tamen infelicissimum funestissimumque novi belli futurum exitum, populum turpiter in fugam versum, Regem ipsum miserè occisum iri, prædixit, simul etiam non bonum divinæ veritatis numen, sed *mendacii spiritum* omnium Prophetarum pectora occupasse, linguis insedisse Regi significavit. Quod ægerrime *cornutus idololatricæ gregis Dux Zidekias* ferens atque excandescens irâ in duorum Regum conspectu divino Prophetæ colaphos audacissimè impegit, subindè ingeminans suum *mene dimisit Spiritus Domini, & tibi locutus est; per quam viam transivit à me, ut tibi loqueretur?* Ipse Baal, Idolum in scripturis famosissimum erat *mendacium* (hoc n. nomine idola Spiritus

ritus Sanctus insignire solet, Jer. 16, 19. & passim alibi) hinc *mendaces ejus Prophetæ & Sacerdotes*, Esaia. 30, 9. *mendacia*, quæcunq; iidem de ipsius divinitate, virtute, auxiliis idololatræ splendidè pollicebantur, Jer. 23, 14. & 32. *mendacia* omnia cultuum genera, quæ in ejus honorē instituebantur. Ezech. 12, 24. c. 13, 6. & seqq. cuncta *mendacissimi Spiritus* instinctu & suggestione excogitata, inventa, introducta, firmata. Joh. 8, 24. & nihilominus, quæ Zidekia ex hujus *mendacissimâ inspiratione* falsissimè profert, à divino veritatis Spiritu se accepisse, & hunc ipsum perpetuum atq; inseparabilem habere animi incolam, hospitem, parastatam moderatorem, ut *nec ab aliis falli ipse, nec fallere alios posit*, impudentissime confidentissimeq; jactare non erubuit: hoc n. verba volunt, *méne dimisit Spiritus Domini? per quam viam à me transivit?* quorum vis est: Prophetа sum, communi hominum sorte à Deo exemtus, constitutus in hac sublimiori sede, ut, quicunq; dubijs in rebus seu doctrinam, seu alia vitæ negotia

spectantibus, mea implorant consilia, iis divinam voluntatem docendo, hortando, dehortando, consolando, aperiam: quem in finem dominus Spiritu suo me implevit, cujus lumine perfusum pectus meum, ut nullæ in eodem ignorantiæ aut erroris tenebræ locum inveniant: hic Spiritus nunquam à me recedit, nunquam suum subtrahit lumen, imo *via planè nulla est* per quam hoc domicilio suo, quod sibi semel elegit, exeat. Quæcunq; itaq; divinissimi augustissimiq; officii mei ratione hactenus à me prolata, oracula sunt cælitus delapsa: ipsum hoc consilium, quod duobus Regibus bellum instruentibus suggessi, inde venit, cui quicunq; contradicere audet, mendax est, impius est, blasphemus est, dignq; cui impudentissimum os probè probeque diverberetur. Quod si jam, quæ in superstitiosissimo Papatu ex eo tempore, quo ampliores ille vires est consecutus, in publico Ecclesiæ theatro acta sunt, hodieque aguntur, cum Zidekianâ isthâc fabulâ, cõferamus, magnam inter ea similitudinem

& co-

& cognationem ipso primo intuitu deprehendimus. Quid Papatus, quâ Antichristianismum fovet, nisi *mendaciusimi spiritus quædam quasi officina*, in quâ ille superioribus seculis nova subinde errorum monstra fabricavit, procudit, & Ecclesiæ obtrudere conatus est? de quibus haud immeritò B. Lutherus in cap. 48. Gen. *non mihi sicentum linguæ sint oraque centum dicendo omnia possem consequi, &c.* Nullus n. ex fidei articulis, in quibus humanæ salutis cardo vertitur, reperitur, cujus fundamenta Papatus, quantum in se, non, vel evertat, vel oppugnet, vel saltem coinquinet: id quod cuivis, qui ordine singulos, *de scripturâ sacrâ, de peccato, de libero arbitrio, de Christo ejusq; officio, de lege & Evangelio, de sacramentis, de pœnitentiâ, de fide, de justificatione, de bonis operibus, de Ecclesiâ, &c.* lustrat, fit manifestum. Hem, quot & quanta mendaciorum plaustra in medios simplicium Christianorum cœtus ex *audacissimis fallacissimarum visionum, apparitionū, responsionum nocturnarum, spectrorum, mira-*

culorum, signorũ jactationibus invecta sunt! quot confictæ de sanctis, quos inprimis Papatus sibi proprios habet, de rebꝰ ab iisdem & vivis, & post funera gestis ineptissimæ fabulæ, quibus miseræ plebeculæ, & inprimis credulæ juventutis aures & pectora oppleta sunt usq; adeo, ut ipsos cordatiores Pontificios earum pudeat, iidemque ingenuè fateantur, quosdam *Catholicos affectibus inserviisse, & de industriâ multa confinxisse*; ut fabularum architectos, ac speciatim quidem *speculi exemplorũ & legendorum aureorum auctores homines ferrei oris & plumbei cordis, qui non miracula, sed miraculorum monstra narrarint*, appellare haud dubitarint. vide Melchioris Cani Episcopi Canariensis locor. theologicor. lib. 11. cap 16. p. 533. & seqq. Nihilominus tàm procul ab omni pudore Romanæ sedis cõductiti & jurati propugnatores absunt, ut, qui eam occupat, *Papam, nulli circa Religionis dogmata errori obnoxium esse, nunquã Spiritus Sancti, moderatrice, ductrice, dictatrice carere præsentiâ, adeoq; infallibilis esse*

auctꝰ

auctoritatis, clamitare non desistant, & optimis *Mitheis*, qui dissentiunt, qui singula ad divini oris oracula exigunt, alapas impingant eosq; hostiliter persequantur. Celebratissimi Papatus Gnathonis *Abrahami Bzovii in Pontifice Romano*, eo capite, quo copiosè orbi Christiano persuadere nititur, *Pontificem Romanum nec falli nec fallere posse*, p. 104. seqq. vox est: *Omnibus Romanis Pontificibus legitimè sedentibus, infallibilitatis, quod vocant, privilegium à Principe Pastorum Christo Deo concessum, ut in rebus fidei morum doctrina & universalis Ecclesiæ administratione, certissima, verissima, nullâq; falsitatis notâ inumbrata decreta veritatis ipsius radio scribant, edicant & sanciant.* Huic plerique omnes subscribunt, & tàm confidenter, ut *verbum Pontificis ex cathedrâ pronunciantis non esse omninò verbum hominis, id est, verbum errori obnoxium, sed aliquo modo DEI verbum asserere non vereantur*, vid. Bellarm. lib. 3. de V. D. c. 10. Becanus ad uberiorem rei declarationem tale adhibet simile: *Rex habet duos filios, dat illis*

pædagogum, qui ipsorum studia moderetur: pædagogo, tametsi per se errare & perverti possit, adjungit virum maturū & prudentem, à quo ità dirigatur & observetur, ut filios à Rege commissos pervertere non possit: Sic Christus agit cum Pontifice: dat illi instituendos Christianos, &, ne illos pervertat, adjungit illi Spiritum Sanctum, per cujus assistentiā & gubernationem ita gubernetur, ut fideles non possit in errorem ducere &c. Hùc referenda *centum triginta* ὑπερβολικώτατα Papæ Romani *elogia*, in causis recusati ab Electoribus & Principibus Imperii Romani, Concilii Tridentini, & inter ea maximè *vigesimum sextum* pag. 205. quod tantæ Autoritatis & infallibilitatis Pontificem Romanum esse ait, ut *ab ipso ne quidem ad Deum ipsum appellari possit.* Hem immensam innumerorū βδελυγμάτων & extremæ impietatis abyssum, ut mirum sit extitisse unquam, qui assensum præbuerint; magis mirum, hodieq; in tantâ Evangelii luce & post mendacissimi dogmatis sufficient.

mam

mam revelationem & subversionem ex omnibus ordinib. reperiri, qui, honore uni Deo debito, sacrarum literarum autoritate privilegiis unis Prophetis & Apostolis ad constituendum fidei Canonem concessis, sanâ ratione, ipsâ experientiâ, communi sensu, aliisq; hic non commemorandis nec attentis nec consideratis, in turpissima miserabilis servitutis vincula sponte sese dedant, & Papam Romanum perpetuâ Spiritus Sancti cohabitatione, ac gubernatione, ex quâ nec falli nec fallere possit, gaudere, sibi persuaderi sinant, indeq; quicquid ex ejus cathedrâ & sede, vel olim profectum, vel hodie prodit, cæcâ assensione amplectantur, exosculentur, & non secus ac divina oracula venerentur. Sed merentur, qui *mendacio credant, quotquot veritatis amorem nolunt recipere, ut salvi fiant*, 2. Thess. 2. 10. Nostrum est, quotquot in speculis, sive scholæ, sive Ecclesiæ sumus à Deo constituti, hoc acriori studio nostro fungi munere, & pro cœlesti veritate tuenda vigilare, quò *mendaciorum Spiritus* insidio-

diosius juxtà ac furiosius per ministros suos eandem oppugnat. Præiverunt superioribus seculis, & in medio quidem Papatu, haud pauci, qui *hoc de infallibilitate Pontificis Romani postulatum* sunt execrati, quorum nomina Catalogus testium Veritatis habet. Præiverunt postea, inprimis B. Lutherus, & qui ejus vestigia, ad normam verbi divini secuti sunt, & Papam non tantum fallibilem esse, sed universum orbem turpiter diutissimè fefellisse immotis argumentis, & plurimis ipsorum Pontificum exemplis confirmarunt. Horum nos existere decet imitatores & ἐξιχνιῶντας τὴν χοφηγέτιν ὁδὸν tanto majori ardentioriq; Zelo mendaciorum spiritui obviam ire, quanto audacius & impudentius ille sibi *divini spiritus* sumere honorem non reformidat, & dum errare se ac fallere non posse confidenter jactat, id opere ipso agit, ut innumeras animas in errores seducat, fallat, perdat. Quod religiosè secum prudenterque expendens *Vir pl. Rever. Amplissimus, Excellentissimus* DN. JOHANNES GEOR-

GEORGIUS DORSCHEUS, S.S. Theol. Doctor & Professor celebratissimus, Collegii Theol. h. t. Decanus spectatissimus, Ecclesiastes vigilantissimus, amicus, collega, compater & in Christo frater noster honoratissimus, cum ex pio veterum instituto de argumento ab instante Pentecostes & Spiritus Sancti festivitate non alieno verba ad civium Academicorum devotionem & pietatem excitandam fovendamq; facere secum constituisset, hoc ipsum deligere voluit, *circa horâ octavâ antemeridianâ* è suggestu auditorii magni solenni oratione expositurus: *Spiritus Sancti infallibilem residentiam male ibi collocari, ubi hodie magno cum applausu hominum religionem mutaturientiū, eam Missionarii Rom. Pontificis collocant*: ad quam religiosè audiendam, ut frequentes libentesque confluatis, me etiam non hortante, tùm gloriosam Festi sanctitatem, tùm argumenti gravitatem dignitatemque, tùm perspectam clarissimi Oratoris facundiam vos invitatura esse confido. Valete. P.P. IV. Junii, anni M. DC. LII.

DISSERTATIO VII.

Qua ostenditur, Spiritus S. infallibilem residentiâ malè ibi collocari, ubi hodie, magno cum applausu hominum religionem mutaturientium, eam Missionarii Pontificis Rom. collocant.

FElix faustusq; fuit Salvatoris nostri transitus, quo cœlos occupavit hactenus apud ingratas terras miranda vicissitudine occupatus. Abiit, sed ut adesset; excessit, sed ut accederet; erupit, ut perrumperet. E medio subductus in medio sanctorum habitat. Oculos fugit, ut corda occuparet. Terras reliquit, ut omnia impleret. Ex seculo exiit, ut ad consummationem usq; seculorum reb9 sanctorum interesset. Exegit humanitatis angustias, quibus circumfudit eum mortalium miseria. Nunc gloria, ut homo fulget, qua semper

fulsit

fulsit ut Deus. Formam servi exuit, & revelat formam Dei. Erumpunt radii solis nostri jã plena facie stringendi, ut totus illis orbis percalescat. Cessate angustæ mentes vestris spatiis metiri cœlorum Dominum, cessate, quem oculis usurpare, manib9 palpare, obviis complecti pectoribus non potestis, ab oculis abesse, è manibus elapsum esse, intra pectora non esse vestra credere. Cum in consortium S. S. reciperetur caro nostra, cum subsisteret ultra mortalium conditionem, cum in sinu Patris esset, cum in Filii summi summo complexu & cõmunione admiranda esset, cum Spiritu sancto, è fonte summi numinis manante, uncta, tota plena, tota perfusa esset, jam suæ majestatis conscia, jam suæ virtutis gnara, suorum thesaurorum certa fuit: esse ubi voluit potuit, facere quod voluit potuit, scire quod voluit potuit, quia in eo indivisim indesinen-

sinenterq; fuit, qui ubiq; fuit, omnia potuit, omnia scivit. Sed maximum summæ dignitatis specimen & monumentum in redemtione generis nostri prius constituendum fuit, & carnis Virtus in morte exhibenda. Non poterat in principio melius esse, quam si apud carnem perditam esset caro restauratrix: non poterat facere præstantius, quam si carnem prius reficeret caro refectrix; nec scientiam valuerat exerere penetratius, quam si thesauros pro carne illuminanda promeret caro lucis. Sic aliquandiu esse miserè quam ubique maluit, posse maluit debiliter, quam omnia, scire quæ nos servaret, quam in omnia se diffundere. Postquam ista omnia in carne pleniſſimè executus est & opus consummavit, cui orbis creatio cedit maximè, jam in thronum suum ad Patris sui dextram collocavit, In dextra sua carnem Filii pater Deus esse voluit, quæ tam de-

xtrè

xtrè recõciliationis noſtræ cum Deo negotium expedivit; In ſolio ſuo carnem eſſe voluit, quæ in ſolo eam incomparabiliter laboravit. Nullibi dexta Dei ſine carne, nullibi ſine carne Dei ſolium. Trophæum, quo ſublimiter regni ſui vaſtatoribus inſultaret Deus, in dextra ſolioq; collocare voluit, quia celſius non potuit. Sed otioſa non eſt iſta excelſa ſeſſio. Dextera Dei latiſſimè longiſſimèq; pertingit omnia, quomodo & ſe thronus divinus porrigit. Nuſpiam non adhibet carnem noſtram, nuſpiam à ſe abeſſe vult carnem. Sapientiſſimum inter dextram Dei carnemq; noſtram temperamentum factum eſt, ut nec extra carnem dextra, nec extra dextram caro eſſe velit. Ab arbitrio dextræ Dei carnisq; noſtræ nunc pendent omnia. Et hoc quidem ſibi perſuadere poterant, qui in ſublime contendentem Dominum conſpexerunt. Dum non

terram

terrā amplius sed aerem calcat, dum ad nutū suum abit in altum, & emetitur felici profectu ea spatia, quibus oculi mortaliū perspiciendis pares esse non poterāt, dum angelis circūdatur & intra cœlorum abyssum reconditur, jam intelligere poterant, eam patefacere potentiam, qua toties dæmones stravit, corda introspexit, morbos depulit, absentia novit, elementa ad obsequium flexit, mortuos è tumbis revocavit, Cum præter cœlos ubique hactenus suam vim declarare voluerit, existimare poterant nihil supereſſe, quam ut in cœlis etiā suam explicaret gloriam & supergrederetur cœlestem militiam, postquam conculcavit cœtera omnia. Sed magna illos caligo occupavit, ne caperent, tanti itineris terminum non alium esse potuisse, quam dextram thronumque omnidominum. Conciliare hunc discessum cum sublimi propinquitate Regis

gis sui non poterant. Altitudinem absentiã interpretabantur, cum non animadverterent, hanc esse altitudinis, quæ dextræ thronique divini est, excellentiam, quod omnibus intersit. Locis includebant fastigium cœleste, & cum summum fieri viderent Dominum suum, abfuturum credebant. Sed sic summus non est Dominus, si ita summus sit, ut alicubi non sit. Quicquid enim non est apud omnia, id non est summè supra omnia. Ut caligo ista discuteretur, ostendendum fuit aliquo illustri documento, quam proximus sit, qui summo est, qui in dextra thronoque Dei est. Evellendus è pectoribus tot diebus radicatus metus absentis Domini, qui cum jam in adorationis cultum promtos haberet angelos, cum majestate diabolos concuteret, cum Myriades sanctarũ animarum conspectu sui in throno gloriæ hilararet, cum ipsa etiam suorum pectora re-

ra repleret, ut inter spem metumque conservaret, non credebatur adesse. Ergo Hierosolymis congregatis suis dextram porrigit Jesus, præsentiam designat, virtutem patefacit. Dextra semper cœlestibus bonis plenam, semper promtam ad universi regimen, semper sanctis proximam intimamq; hoc nunc beneficio compleverat, quod docere posset Salvatoris conditionem. Est hoc ipse SANCTUS DEI SPIRITUS. Sæpius illud promiserat veritas, sæpius testata, quantis ornamentis fulsuri essent, cum tanti muneris possessione acciperent. Nunc hunc mittit ipse intimus, ut gemino autoramento beneficii magnitudo eluceseceret. Ecquid n. abesse putabimus sanctum Spiritum à Christo, dum super cœtum sanctissimum effunditur? Nimis dilute sic ista quidem effusio concipitur. Emanat Spiritus S. à Salvatore perenni, indivisa & inexhausta redundantia. Cum ca-

ro ver-

ro Verbum factum est, totum in illã deduxit & tanto unguento illã perfudit, quo sui fragrãtiam per orbem salubriter spargere posset. Ergone suum hunc balsamum sic aliquorsum mittat, ut se destituat? ut ab illo distet? Imo verò è carne Jesu exhalantem atq; in ea perseverantem hunc sanctum accipere Spiritum, ad cœtus beati desiderium pertinuit. Missio a. ista silentio perfici non debuit, nec inter sola pectora cœtus subsistere. Lœtus ille nunc quidem & majestatis Domini sui certus esse poterat, cum tãtum animorum suorum hospitem exceperat. Ille enim actutum suas explicavit int9 omnes divitias, ille magnalia Dei, circa quæ varia fuit, hactenus aut hæsitatio aut ignorantia, pulcherrimo lumine impressit, ille præsentiam Regis ex Flaminis propinquitate firmavit, ille de consiliis divinis ad orbis bonum instruxit & universas prosperrimæ legatio-

gationis tabulas insinuavit. Nimirum Legatos ex hoc cœtu ad orbem suscitandum destinaverat. Nihilominus, ut undiquaq; illustris esset significatio ejus, quod tum perficiendum fuerat, non sine symbolis perficiebatur. Sonora & flammea voluit esse Spiritus sancti præsentia. Sonitus è cœlo concusserat domum universam, monitor de fluentibus ex alto mysteriis, interpres eorum quæ intra pectora agebantur, Caduceator pro orbe ex hac domo pacando. Sed & ignis linguis cœtus insederat & dissipatis suaviter radiis fulgorem stupendum circumfuderat. Sic fragor fulgorque cœlestis Spiritum indicaverunt, sic Dominum Jesum præstiterunt. Porro specimen etiam edendum fuerat depositi in cordibus mysterii. Disertæ incipiebant esse inter inter flammas linguæ & profitebantur, quod conceperant corda. Efferunt quæ commissa erant arcana.

Tan-

Tanquã in varias linguas dissipatum haberent præsens omne mortalium genus, alloquuntur linguis cuiq; vernaculis, aperiunt salutis destinatæ consilia, gestiunt corda implere isto quoq; spiramine, cujus ipsi facti sunt participes, ostendunt, qualem profiteantur Dominum, eum nimirum, qui, dum linguarum omnium notitiam pectoribus ipsorum indidit, orbis universi se testetur architectum, & requirat ab omnibus linguis cultum. Satisne summi Domini præsentia confirmata videtur, quæ tantis documentis asseritur? Sanè cui intra pectora divini cœtus operosus sanctus Spiritus, magnalium Doctor, mysteriorum exegeta, cui domum concutiens sonorus ventus, cui ignis linguis cœtus inhærens, cui in linguas orbis omnes promta cœtus ora non persuadent majestatem Domini JEsu, apud illũ frustranea est omnis peroratio. Atq; de isto quidem cœtu

recte

recte pronunciari potest, quod ab eo tuto discatur, quicquid ad æternitatem ducit, quod in eo resideat S. Spiritus, quod ab eo infallibilis doctrina salutis habeatur. Sic enim cœlitus instructus, sic gubernatus fuit, ut sive sensum quis desideraſſet divinum sive linguam arcanorũ interpretem, omnia sine formidine falsi haberi potuerint. Ivit ille, quorsum destinatus fuit, linguis ignem spirãtibus orbem inflammavit, sonitu concussit pectora mortaliũ vehementi, Evertit delubra, satanam è latibulis & ludibriis suis protraxit, maximum numerum hominum exiguo temporis spatio in cõmunionem cœlestis lucis deduxit, & in Domini sibi cogniti, sibi præsentis, sibi benefici leges recepit & familiam. In illo vero itinere, dum Ecclesias constituerent & credenda faciendaq; proponerent, mortalitatem consummarunt singuli, & quorsum alios præpararunt,

eor-

corsú ipsi ingressi sunt. Ne verò post excessum eorundem per incerta errarent mortales, non intermiserunt eidem consulere optimè. Meminerunt ipsorum conscientiis incumbẽtis necessitatis annunciandi Evangelium omnibus gentibus. Id non de præsentibus duntaxat interpretati sunt, pro universis usq; ad consummationem seculi victuris laborandũ judicarunt, ne destituerentur illo lumine, quo tenebras animabus noxias discutere possent & ad cœlos viam aperire. Sic demum impositio muneri satisfactum iri existimarunt. Quamvis verò pluribus per orbem collectis cœtibus optimè radicata videretur æterna veritas, cum & doctores essent sanctissimi, & martyres invicti, & confessores intrepidi, & miranda, quibus ipsi primum decorabantur, dona passim etiam alios ad fidelium solatium ornarent, ut commodissimè tradi posse videretur

tur aliis, quam ipsi acceperant, veritas, & sic in sera usq; secula propagari, non tamen censuerunt, sic extra periculum futurã posteritatem. Mutabile est omne genus mortaliũ. Vix durat perenniter, quod solis animis committitur. Ætatum provolutio oblivionem parturit, & subinde lituram inducit etiam tenacissimè impressis. Posteritas vix semper fideliter custodit hæreditatem patriam, Accedunt imperiorum mutationes, quibus involvitur etiam Ecclesia, & sanctissimi congressus dissociantur. Vastitate terris inducta cœlestibus curis etiã non rarò vis infertur. Neq; inferorum truculentia cessat sese ad multiplices disponere insidias, ut perdat regnum JESU. Hinc novaturiunt ingenia mortalium & tædio diu creditorũ subinde comminiscũtur aliquid, quod sub specie cœlestis sententiæ spargant. Non itaq; tutum erat fidei ad nepotes atq; abnepotes & quot-

& quotquot nascentur ab illis propagandæ mediũ, si solis animis præsentium committeretur mysterium salutis. Neq; etiam illud providentia superna sanxerat, ut semper esset ejusmodi cœtus, qualis primùm ad orbis emendationem consecrabatur, qui linguis igneis & magnalia Dei ex Spiritus sancti pleno impetu sonantibus de rebus ad salutem capiendis consuleret. Itaque scribere cœperunt, quæ loquebantur viri divinitus electi. Pro linguis membranæ loqui debuerunt. Ignis in chartas diffusus est, ut mentes incenderet. Sonus resonat in libris. Habent illi φωνὰς Apostolorum. Sic ad antiqui fœderis & Prophetarum exemplum composuerunt. Perseverans & tot seculis invictum videbatur ex eventu medium, utut exile & parum munitum primo intuitu censeri potuisset. Ergo Canon constitutus est & à grandævo Johanne, quem superstitem.

tem post omnes Deus esse voluit, recensitus. Duravit ille hactenus, duraturus ad orbis usq; excidium. Divina patrocinium præstat sapientia, ut inter improbas etiam manus integer perstiterit. Pertinet hoc ad summam istius dignitatem, quod tot libris abolitis & caligine seculorum oppressi, hic tamen suam conservaverit majestatem etiam semper pro Deo & æternitate contra errores orbis loquatur. Ita a. scriptionem temperarunt viri, qui libros labia sua esse voluerunt & Epistolas Apostolas, ut condescenderetur ad mortalium captum necessitatemq; & passim simplici planoq; sermonis genere proponeretur, quod ad salutem necessarium est, licet sublimia multa interspergerentur, quæ ad sanctorum exercitationem proposita sunt. Neq; n. quibusvis aliis scripturis sapienter & utiliter compositis deteriores esse suas sacras voluerunt. Parum profuturus

rurus liber est, qui in caligine jacet, nec intelligi potest ab eo, cujus saluti consecratus est. Interim ita discrevit Deus cœtus sibi cohærentis ordines, ut sanxerit aliquos, qui libros istos Canonicos sollicitius scrutarentur, & ubi vel difficultatem habent ex rerum sermonisve profunditate, vel caligine extractantium opinionibus, dispicerent accuratius, quomodo cæteri, quibus vel difficultas objicitur, vel offunditur caligo, informari possint. Atqui hi parati sunt ad demonstrandam sensuum divinorum, quos Canon complectitur, evidentiam. Manent mysteria incomprehensibilia, obscura, supra capacitatem intelligentiæ nostræ posita, in ænigmate spectanda. Attamen verba, quibus se patefaciunt, inqui hominum mentes ingeri volunt, plana ut plurimum esse voluit & lucida, ipsa summa lux, quæ illa usurpavit. Præbent etiam ex ista luce tantos radios, quanti necessarii sunt, ut inveniamus verborum sententiam. Imo & hoc insuper habent, ut non solum tradant, quid credendum sit, sed etiam quo credi possit. Nimi-

mirum abscondita quædam vis inest verbis cœlestibus & characterem originis suæ habent & ex alto trahunt potentiam ad salutem. Non sic alia verba mentem aggrediuntur & tentant & in partes suas trahunt. Atq; ita quidem præstantissimè inter membranas & chartas cœlestis veritas nobis etiamnum se ostentat & promovet. Ita sparsa in orbem in unitate conservata fuit. Ita in pagellas compacta brevi apparatu in infinitos mundi angulos penetravit. Ita contra hæreticos stetit invicta & ex seipsa se semper tuita est. Etiam qui vellicare partes ejus ausi sunt, integram agnoscere docti sunt. Plurimi, qui sibi eam arridere putabant, in fraude deprehensi sunt, idque non alio præsidio, quam ut ex ipsa cognoscerent, quod inaniter sibi blandiantur. Ex ea etiam synodi veritatem sententiarum suarum tuebantur. Ingruentibus in Oriente & Occidente tenebris, ipsa non interiit, sed intra membranas chartasve, dum cum tineis & blattis conflixit, non desiit subinde stringere suis radiis, donec pulsa caligine erum-

ne erumperet & de superstitionibus triumpharet. Contra hanc veritatis suo Canoni potenter inclusæ vim, qui tenebras præferunt luci, variè insultarunt. Aliud tribunal, aliam S. Spiritus sedem, ex qua mentibus mortalium certitudo lucis dictanda, constituerunt. In accusationem scripturarum conversi, earum certitudinem, plenitudinem, claritudinem, fortitudinem, pulchritudinem, promptitudinem, amplitudinēq; negarūt, tot congestis in sanctissimum depositum querelis, ut sine periculo non tentari posse videatur. Cum sic à Spiritus S. hoc mellificio avocarunt mentes, jam facile ad quævis alia flecti posse censuerunt. Alii persuadere conati sunt, non esse convellendā præsentis Ecclesiæ machinā, quæ non uno se seculo tueri possit & præscriptione defensa sit. Alii cum vererentur paviculis divinis scripturis capacissimum animum committere, antiquitatis sacræ monumenta universa in subsidium advocarūt. Quidam traditionum pertinaces, quicquid à majoribus acceperunt, sanctum & invio-

labile censuerunt. Sed qui acutius sibi prospexerunt, illi veritati cœlitus patefactæ, tanquam parentibus suis orbatæ curatorē tutoremq; constituerunt, quem infallibilē ejus proponentē dixerunt, & eum quidem ex Episcopatu Romano accersitum supra cœteros collocarunt. Sic enim, quoniam quicquid de veritate cœlesti promiscuè traditur, quicquid è S. literis disseritur, ab illis traditur & disseritur, qui falli & fallere possunt, eum accedit infallibilis proponens & pro tribunali pronunciat, quid credendum sit vel secus, tutissimus præstabitur amplexus. Ita namq; in eo residet sanctus Dei Spiritus, ita eum ipsi communicat è dextra cœlesti Dominus Jesus, ut qualiscunq; tandem ille sit, sive Apostaticus sive apostaticus, non aliud quam meracissimam cœlestē veritatē sit pronunciaturus. Atq; hoc quidem acumine nunc pungūntur etiā Magnatum mentes plurimorum à Missionariis Romani Pontificis, quos congregatio de propaganda fide Romæ adornata deligit. Illi Mutatutientes religionem dudum professam,

fessam, sive quia tædio veterum capiuntur, sive quia ad alia adspirant, quæ quavis religione impensius quærunt, applaudunt pũgentibus & ingenti scandalo aliorum horrendoq; periculo suo ad plures transeunt. Nos cum Spiritui sancto nunc præsitemus solennia, fortasse ad festivitatis sanctimoniam concinnè mediationes nostras composituri sumus, si latibulum hoc penitius perveſtigaverimus & an cubile suum domiciliumque Sp. S. ibi habeat ad veritatis sempiternæ communicationem, stilo simplici perpenderimus. Benedicat ex alto proposito nostro sanctus Spiritus, & viam nobis aperiat, ut veritatem invenire possimus, ubi tutissimè complectamur. Favete, Auditores, animis, & Sedem S. Spiritus adeo decantatam discussumm solita benevolentia complectimini.

Prodidit Valerianus Magnus Mediolanensis Judicium de Pontificiorum Regula Credendi ad Studia Universalia Bibliſtarũ, quos vocat. Ita autem illud procedit; Judicium esse de re aliqua, de qua aliquid di-

citur, utrum ei conveniat, quod dicitur, vel non. Illud vocari propositionem: earum aliquas esse natura notas, aliquas ratione deducendas. In prioribus regulam judicandi esse facillimam: in posterioribus artem postulari. Esse ergo duplicem regulam judicandi, quæ argumentum ponderet, unam naturalem, quam circa ullum studium adhibere solemus docti pariter atq; indocti: alteram artificialem. Propositiones considerari vel ad intellectum vel ad rem; primo modo dici vel certas vel dubias, probabiles, vel improbabiles, evidentes, vel obscuras, veras vel falsas. Posteriori esse vel necessarias vel possibiles, æternas vel contingentes. Naturalem regulam judicandi propositiones mediante argumento, esse ratiocinari ex una propositione vera, innixa super aliam veram & æternam, quæ ratiocinatio, si absit Logica, lubrica sit. Artificialem Logicam esse magnæ molis opus & non cuivis competere. Si ratiocinans putet ambas propositiones esse evidentes aut certas, etiam conclusionem sequi talem.

Secus,

Secus, si alterutram propositionem tãtum talem judicaverit. Hinc sæpius latere ratiocinantes argumentorum seriem, unde judicent conclusiones, nisi sint exquisitè Logici, atq; ideo si qui tales sunt tam difficulter intelligant propriasratiocinationes, intelligi posse, quanta sit promiscuæ plebis confusio mentium. Interim tn.naturalem Logicã esse fundamentum omnis philosophiæ, imo & fidei nostræ in Deum. Nam esse absolutè impossibile, humanum intellectum judicare aliquam propositionem, quam non secundum inditam nobis naturalem regulam indicet. Impossibile esse, eum, qui judicat propositiones conclusioni præmissas esse dubias, inferre conclusionem, ut certam: aut si præmissas judicet certas & æternas, non judicet conclusionẽ certam. Porro naturale lumen animæ nostræ complecti omnia, ita ut impossibile sit ipsam corrigi per superiorem. Adeoq; Deo impossibile esse, condere intellectum, qui judicet aliter, quam secundum lucem, quæ sub certa temporis differentia intellectua-

liter lucet, & incommutabiliter se habet. Hinc naturalem judicandi regulã non esse indiscretè opponendam iis, quæ credenda nobis proponuntur. Si n. intellectus habeat propositiones vel per se notas, vel illatas ex una certa & altera incommutabili & æterna, si mundus universus, angeli omnes & universa Ecclesia satagerent illas evertere, frustra fututum. Si dicatur, captivandum intellectum in obsequium fidei, hoc ipso everti fidem, cum absolutè sit impossibile credere alteri cuicunq; sine ratiocinatione qua concludatur, eum, cui creditur, nec decipi, nec decipere, quæ ratiocinatio non consistit sine naturali Logica. Si a conspicuæ autoritatis persona exigat à nobis fidē circa aliquã propositionē quæ nec sit nobis per se nota, nec exinde illata, licet ea nobis videatur dubia, obscura, vel improbabilis, non temere eam falsam judicandam. Licet enim pleraq; evidenter ac certo à nobis intelligantur vera, hæc tn. paucula esse, comparata his, quæ nobis obscura ac dubia sunt, vel nos latent omnino. Denique

Deum ter opt. max. esse lucem mentium, radicalem q; regulam dicendi, judicandi, ratiocinandi, hanc esse lucem illam, quæ illuminat omnem hominem venientē in hunc mundum. Nil detrahi Deo, nil fidei, si homo Deo lucente naturaliter expendat cum certo moderamine, quæ nobis credenda proponuntur supernaturaliter, si Deo lucente naturaliter dicamus aliqua esse absolutè impossibilia etiā Deo: non quod Deus subjiciatur legi superiori, per quam alia sint illi possibilia, alia impossibilia, sed quod ipsissimus Deus est lex essendi, & lux intelligendi absoluta, æterna & incommutabilis. Animam verò esse rationalem nihil aliud esse, quam animam vivere ex illa luce mentium, quæ sit lex essendi & lux intelligendi. Ita librum primū judicii sui Valerianus exhibet. In quo intelligitis, Auditores, Pelagio ductore usum illum esse. Ita equidem comparatum est, ut supersit nobis adhuc lux aliqua mentibꝰ congenita; sed illa neq; Deus est, neq; lux illa, quæ illuminat omnē hominem, venientem in hunc mundum.

quæ est ipse JEsus Dominus, neq; mysteriorum divinorum capax est, &, nisi ab illuminatione superiori gubernetur, cœlestib9 capiendis apta non est.

Sed mittamus ista & dispiciamus alia. Libro secundo notat, aliqua judicari vera & vel falsa nullo adhibito argumento, aliqua accedente argumenti convictione. Hoc a. deduci vel à ratione, vel à testimonio. quæ testimonio nituntur, quatenus per solam autoritatem probantur, impossibile esse evidenter judicari vera: Cum evidentia conclusionis supponat argumentum duci ab illa ratione, quæ sit clarissima. Hinc eum, qui autoritate movetur, ut aliquid judicet verum, dici credere, ejusq; judicium dici fidem. Ad fidem ergò necessariò requiri propositionem credendam & alicujus attestationem. Attestantis a. autoritatem nullam esse, nisi ratio aliqua convincat, attestantem nec decipi, nec decipere. Si quis contendat, dari autoritatem nullo argumento ducto à ratione comprobatam, cui tn. quis credere possit, cum non minus Diabolo

bolo credere teneri, quam Deo, cum nulla sit ratio, cur hujus autoritas præferatur autoritati illius. Illas rationes, quibus convincimur, atteſtantem nec decipi, nec decipere, propriè tribuere autoritatem ei, qui de aliqua veritate teſtimonium perhibet. Igitur tria ad fidem requiri, dicentem, dicta & autoritatem dicentis. Autoritatem aliam eſſe probabilem, aliam certam & infallibilem. Hinc & geminam fidem eſſe. Deo nos credere vel immediatè, vel mediante alio, cui facta ſit immediata revelatio credendorum, quod tripliciter cõtingit, primò cum Deus facie ad faciem videtur ab intellectu humano: ſecundo, cum Deus elevat intellectum illuſtrando ſubtilioribus argumentis, vel divinioribus motibus internis, tertiò ſi doctrinam credendam quomodoliber aliter homini proponat, ut tamen nullo alio argumento confirmet eſſe veram, quàm quod ipſe Deus eam affirmet veram. Si horum neutrum contingat, neceſſe eſſe, ut credituro certò conſtet, quod is, qui alio aliquo modo homini apparet, & loquitur,

ſit Deus.

sit Deus. Sive per hominem, sive per angelum, sive aliter fiat divina revelatio, ad eam requiri rursus dicentem, dicta & utriusque autoritatem. Sic cum per angelum incarnatio revelabatur, dicentem fuisse archangelum Gabrielem, dictum fuisse incarnationem, dicentis autoritatem fuisse miraculum conceptionis illico factæ. Cumq; per Mosen liberatio Israelitarū ex Ægypto annunciabatur, dicentem fuisse Mosen, dictū liberationem, autoritatem ex miraculis cōciliatam. Non posse transmitti divinitus revelatam doctrinam à generatione ad generationem usq; ad finem seculorum, nisi eō usq; dicentis autoritas rationibꝰ fulciatur. Traditionem revelatæ doctrinæ per vivam vocem non posse certò credi ab hominibus, nisi extent certiora argumenta, unde concludere liceat, eos qui divinitus acceptam doctrinam aliis viva voce communicant, nec mentiri, nec obliviſci, neq; non intellexisse, quæ à Deo revelantur. Traditionis per scripturam veritatem unā esse immediatam, alteram mediatam: illā mentem.

rem scribentis continere, alteram scribentis consensum cum re ipsa; nec enim licet verum sit hunc hoc scripsisse, statim verum esse id, quod scripsit. Hinc duas nasci quæstiones, tum an scriptura significet hanc vel illam mentem scribentis, tum an hæc mens scribentis sit vera vel falsa, justa vel injusta? Itaq; scripturam distingui à commentariis. Posterius non quæri, cum Deus per scripturam homini significat arcana sui intellectus. Prius magnas parere quæstiones. Proinde credituram per verbum tria debere cognoscere, auctoritatem infallibilē scribentis, scriptionis ab eo factæ certitudinē, & sensus denique veritatem. Quod hæc scriptura sit scripta ab hoc scriptore, nulli credi sine aliquo argumento, puta quia sit cōspicua manus scribentis, vel ejus sigillum appensum, vel adsint testimonia fidem facientium, aut alio meliori modo. Argumenta tamen ista non posse certam fidem facere, cum incidere possit deceptio. Si a. credituras non intelligat idioma, opus esse interprete. Interpretationem non facere

certam

certam fidem, nisi de autoritate interpretis constet: imo & nisi de originali codice interpretis constet. Si sacra Scriptura non usq; adeò clarè significet mentem Dei, egere expositore. Huic nullam adhiberi fidem, nisi certò constet, illum falli non posse. Quia ardua est & incomprehensibilis cœlestis veritas, opus esse constanti autoritate, quæ mentes ab ea alienas perducat in ejus amplexus. Eam esse ipsius Dei revelantis. Sed cum hæc non pateat omnibus, opus esse, ut semper in mundo existat incorrupta autoritas proponentis immediatè à DEO revelatam doctrinam. proponentem hunc etiam certis argumentis debere confirmari, ut constet eum nec decipi, nec decipere. Nil melius esse, quam si Deus ex hominib9 plures perficiat, juxta normã doctrinæ revelatæ, quos divinitus coruscare faciat in orbe à seculo in seculum. Duas ergo veritates à ratione demonstrari, quæ Christianis, qua Christiani sunt, cognoscendæ, scilicet, quod Deus nec decipiat, nec decipiatur, quodve quidam proponentes à Deo revelatam

latam doctrinam, in ea revelatione pariter nec decipiant, nec decipiantur. Sic libro secundo Valerianus domicilium Spiritus S. apud infallibilem proponentem struit. Sed multa sumit, quæ locum habere non possunt. Omittit autem, quod in hoc negotio præcipuum est. Considerare debuisset, auctoritatem, quæ regulam fidei fulcit, non sola extrinseca æstimatione censendā, sed inprimis illa summa & admirabili efficacia, quæ non malitiosè repugnantibus suas dispensat divitias. Nimirum si regula fidei sit, quæ documentis probabilibus persuaderi queat hominibus, habeatq; eas proprietates, quibus ausis contra omnem mundi sapientiam subsistere, atq; ad eam perducantur, qui veritatis sempiternæ cupidi sunt, ipsa verò insuper divina polleat virtute, qua percellere mentes queat & cœlestibus radiis discutere tenebras, quid opus est præter Deum infallibili proponente? Nonne satis est si infallibile proponatur, quod ab initio à Deo fallere nescio propositum est, etiamsi deinceps ab infallibili non proponatur,

natur, dummodo infallibilis Dei præstò sit gratia, quæ non renitentibus veritatis certitudinem dulcedinemq; ingerat? Hujus autoritas etiam nullo argumento à ratione ducto ita se mentibus humanis comprobare potest per hanc regulam, ut mens cœlesti plena lumine de suavissimo cum principio suo cõmercio mirificè sibi gratuletur. Hinc effulgescit, cur magis Deo quàm Diabolo teneamur credere, cur hujus autoritas postponenda sit illius. Nimirum quæ Diabolus profert sive per se sive per alios, eam in animorũ perfectionem vim non habent, qua quæ cœlitus proponuntur, sunt prædita. Vivus est sermo Dei & efficax & penetrantior quovis ancipiti gladio, & pertingit usq; ad divisionem animæ simul ac Spiritus, compagumq; ac medullarum & dijudicat cogitationes & conceptus cordis. Sic quod miraculo quandoque is, qui verbum cœleste proponit, inclarescit, ad liberrimã divinã administrationem pertinet, facitq; ad excitandas torpidas in veritatis sempiternæ cognitione mentes. Si ipsi se permitterent,

terent, si in ejus scrutinium sese intromitterent, si malitiam pertinaciamq; scrutinio nullam admiscerent, jam ex ipsa percellerentur, nec opus haberent miraculo. Perciperent autoritatem ex verbo & veritatis regula, quam ut maturius amplecterentur, miraculo excitandi fuerunt. Sic verbo Gabrielis assensit Dei genitrix, antequam intra se perciperet conceptionis miraculum, quia verbo attenderat. Populus in Ægypto captivus, cum verbo non attenderet, miraculo suscitandus fuit. Igitur potest divinitus revelata doctrina à generatione ad generationem usq; ad finem seculorum trãsmitti, etiam si dicentis autoritas eo usque nullis fulciatur rationibus, partim quia ea est doctrinæ majestas, ut ipsa satis dicétem asserat, partim quia dicens ita omnibus seculis adest, ut doctrinæ suæ præsit & in doctrina præstet, quod nulla ratio probare potest. Et traditio non est certum medium, quo tuto veritas transmitti queat, sine accedente præsidio alio, scripturæ tamen ea conditio non est, cum illa constituitur regula.

cum.

gula. Nam constans ea est & immota, cum non paucorum teneatur manibus & in diversa sentientium potestate sit, & ab hostib9 sais defendatur, nec ita corruptelis proinde pateat, atq; ab oblivione tuta sit, & licet non esset intellecta à scribentibus, quod tn. facile credi non debet, divinitus tn. inspirata ibi illuminare potest, ubi non repelitur ejus gratia. Hinc non negari debet, eam distingui à commentariis & expositionibus, nisi ipsa sit sibi commentarius. Est a. hæc scripturæ divinæ admirabilis perfectio, quod ipsa sui sensum in rebus ad salutem necessariis perficit. Ex ipsa hauriri potest, quod ad ejus intelligentiam pertinet. Autoritas infallibilis dicentis, scriptionis certitudo & sensus veritas, omnia ex ipsa habentur. In ipsam reducuntur omnia. Utamur ipsa, lucebit ex ipsa dicentis infallibilis autoritas, radiabit scriptionis certitudo, confirmabitur sensus veritas. Attendamus ipsi velut lucernæ lucenti in loco caliginoso, & certo dies orietur & phosphorus in cordibus nostris orietur, & percipere poterimus

rimus ista omnia. Extrinseca sunt, quæ insuper adhibentur, quæ motiva fidei solemus appellare, quæ ex diversis circumstantiis deducuntur, nec negligenda sunt, ubi nullus adhuc scripturæ gustus est, donec in ipsam ingredi persuaserimus. Hoc obtento felix iter est & eventus exoptatus sequitur. Ut transferatur de lingua in linguam, nec infallibili interprete opus est, nec infallibili notitia incorrupti & originalis Codicis. Id satis est ad omnem etiam in translationibus tollendum scrupulum, Deum, quia sacram scripturam voluit esse mentium salvandarum regulam, nunquam sub providentiæ suæ moderamine permissurum, ut adeò Codices originales corrumpantur, quo minus tantum ex ea transferri possit, quatum ad regulam sistendam necessarium est. Rursus, neq; cuipiam interpreti hujus regulæ eo usq; indulturum, ut translationem subornare possit, quæ totam destruat regulam. Utrumq; experientia etiam comprobavit. Codices originales mille periculis expositi nullum tn. seculum adeo sibi iniquum habue-

buerunt, ut subverti potuerint. Conservati & mille præsidiis custoditi adhuc florent. Querelarum de corruptelis examina protulerunt aliqui ex illo cœtu, qui scripturis toties dicam scripsit. Ubi inquisitum est penitius, nihil deprehensum est, quod alicujus esset momenti. Sanè sic cœtus ille, qui solus infallibilitatis sibi arrogat gloriam, seipsum incusat, si passus est Codices originales apud se corrumpi, si nō hoc depositum ita inviolatum integrum q; ad posteros transmisit, ut nos de ejus sinceritate certiores reddere possit. Quāquam omnino si penes illum stetisset, non stetissent Codices originales in ea conditione, qua adhuc supra omnem corruptelam triumphant. Adeò enim pluribus seculis plerūq; eos neglexit, ut facile etiam interire potuerint, non depravari tantum, nisi superior potestas obstitisset & in aliorum manibus plus fidei atq; observantiæ excitasset. Si autem translationes inspexerimus universas, etiam quas infensissimi veritatis hostes obtruserunt ecclesiæ, quamvis à fontibus interdum

terdum periculose abeatur, veritati tamen cœlesti propalandæ universas adhuc sufficere fatendum est. Estq; hæc summi numinis incomparabilis benignitas. Licet enim aliquãdo interpretes aliquos scripturæ cœlestis radios extinguere conati sint, non totum tamen lumen & ibi extinxerunt, ubi ausi sunt, & alibi intactum reliquerunt, quod compensare radiis suis possit illatam injuriam. Apparet id quoq; ex ea interpretatione, quam Socini familia è Polonia in Germaniam misit. Utiq; illa multoties scriptoris divini mentem supprimit, sed non ita veritatis regulam conculcat, ut non tãtum lucis præbeat, quantum & per se requiritur & contra Socinismum ipsum satis est. Quapropter qui de interpretatione Canonis sollicitus est aut dubius, eat per ipsas interpretationes in variis cœtibus & circũspiciat, an in varietate notabili veritatis tamen tãta sit suppressio, ut regulæ fides periclitetur. Quod de infallibili expositore Capucinus postulat frustraneum est. Debet enim hoc infallibile nobis esse, scripturam

eo usq;

eo usq; claram esse, quo usq; regula est. Canon esse nequit, de quo non certum est, eũ tantam habere rectitudinem, quanta metiendis rebus necessaria. Propterea enim adhibetur ne fallamur. Itaq; ab eo etiam adhibetur, qui nescit, rectum ne quippiam sit an curvum. Non credo Geometræ rectam esse regulam, quia ipsum infallibilem in assertione rectitudinis existimo. Sed ubi intelligo, infallibilem artificem feciſſe illam regulam, credo rectitudinem, & jam certus sum, regulam tantum rectitudinis mihi ostensuram, quantum ad id, quod molior, requiritur. Sic divinus Canon suum autorem monstrat, sanctum Spiritum, qui ubiq; in eo radiat. Ei ergo credendum est, quod tantum luminis Canonici ei dederit, quantum ad iter in cœlos requiritur. Imò & ex eo etiam præsumenda S. literarum sufficiens claritas, quod in iis, quæ ad salutem non necessaria sunt, qualia plurima ex abundantia divinæ sapientiæ continet, eam uberrimè exhibeat. Quis ergò dubitet eam ibi non satis clarè indicare mentem Dei, ubi de mediis

diis saluti consecratis sermo est. Si sunt in illis variæ opiniones, adhibeantur illis expositionis regulæ, quæ quibusvis scripturis accommodantur explicandis, & apparebit, quæ opinio vim divino sermoni faciat. Non ergo infallibilem expositorem necessitas aliqua postulat. Intra scripturam est S. Spiritus, qui infallibiliter reddat sententiam, si nos removeamus â sermone Dei, quæ si hominis alicujus assuerentur verbis, vir bonus non toleraret. Si quis Romæ eminus videret in Sella gestatum Papam tali, quales nunc passim in Italia & Gallia usurpant, qui tædio viarum alienis malunt uti pedibus, ubi ipsi alios conspicere, vix autem conspici possunt ipsi, & quæreret è Capucino, quid sit illud quod ibi gestatur, responderet verò Capucinus, hoc quod ibi gestatur est Innocentius X. infallibilis proponens, ægrè sanè pateretur, si aliquis ita exponeret ejus verba, hoc quod ibi gestatur est tantum species rerum sella, substantia verò sellæ est transmutata in corpus Innocentii X. Et tamen ita cogimur audire

ab ipso

ab ipso exposita verba Salvatoris, cum scitantibus nobis, quid sit id, quod nobis exhibetur in S. cœna, respondet, hoc est corpus meum, hoc est sanguis meus. Longe ægrius admitteret, si quis ita acciperet responsum, hoc quod ibi gestatur, non est Innocentius X. Sanè enim ille in Vaticano aut Laterano est, est autem tantum figura & adumbratio ejus. Quereretur se mendacii argui. Quod in humanis non toleramus, cur in divinis admittimus & ubi admitti videmus, de divinarum scripturarū obscuritate querimur. Ambr. Cath. Clav. scr p. 166. Antikircher. p. 667 Sufficiat ergo nobis autoritas revelantis Dei & sancti Spiritus intra thesauros S. literarum clari disertiq;, neque hunc apud infallibilem proponentem requiramus. Sanè de infallibili illo proponente fatetur Capucinus, quod & ille sit argumentis confirmandus. Ita q; in argumenta deniq; & rationes, non autem in revelantis Dei aut proponentis Papæ infallibilitatem resolvitur fides, adeòq; tota concutitur. Sanè de ipso infallibili proponente,

quem

quem Capucinus jactat, graviſſimæ adhuc ſunt diſputationes, quas vide Antikirch. c. 5. p. 623. Non jam licet ire per ambages Capucini, quas ad ſtatuendam Catholicorum regulam libris 3.4.5.6.7. habet. Argumenta ponderemus, quibus ſummum atq; infallibilem proponentem ſtabilit. Duo promit, quæ ponderanda ſiſto. Do, inquit, tandem argumentum, quo dum infero cœlum Catholicorum eſſe veram Dei Eccleſiam, ſimul ſolvo omnes quæſtiones propoſitas libro ſuperiore; & definio, quæ ſit divina, quæve Eccleſiaſtica credendi regula. Do, inquit, argumentum datum jugiter de cœlo, adverſum quod nulla altitudo intellectus, nulla humana potentia, nec portæ inferi prævalere poſſunt.

Ille cœtus Chriſtianorum, qui ſolus in orbe claret regeneratis, neceſſariò eſt vera Dei Eccleſia.

Communicantes in fide cum Romano Pontifice, ſunt Cœtus Chriſtianorum, qui ſolus in orbe claret regeneratis.

Ergo Communicantes in fide cum Romano Pontifice sunt vera Dei Ecclesia.

Scilicet: Ergo Deus est existens. Ergo Deus misit JEsum à Nazareth humani generis Redemptorem. Ergo vera fidei doctrina servatur incorrupta in cœtu communicantium in fide cum Romano Pontifice. Ergo communicare in fide cum Romano Pontifice est Ecclesiastica Regula credendi. Ergo Deus claritate Regeneratorum confirmat Romani Pontificis auctoritatem: & simul prodit suam existentiam. Demum nullus irrepsit error in fidem Catholicam ab Apostolis, Scriptoribus Canonicis, Interpretibus, à Conciliis generalibus, Typographis, seu ab aliis ejusmodi quibuscunq; quandoquidem in ea fide regenerantur Fideles. ita Capucinus. Sed quæso unde infallibiliter cognosco regeneratorum naturam & requisita? ex scripturane an ab ipso infallibili proponente Papa? At de utrisque quæstio est. Illa sine hoc non sufficit Pontificiis. Hic nobis demonstrandus. Videt nondum se præ-

præstitisse quod debet Capucinus. Itaque pergit. Sed nonnullus quærat rationem, seu causam incommutabilis & æternæ necessitatis, ob quam is cœtus sit vera Ecclesia, qui solus in orbe claret Regeneratis: (Illa enim propositio debet esse incommutabiliter vera, ut conclusio sit certa.) Cur enim sit impossibile, ejusmodi cœtum Christianorum non esse veram Dei Ecclesiam? non videtur tàm facilè cohibendam esse divinam omnipotentiam. Accedit, quòd ea demum videtur vera Ecclesia, cujus doctrina consonat cum sacro textu. Cœlum enim & terra transibunt; verba autem Dei non præteribunt. Fateor, ait, charissimi, Propositionem illam, esse velut cardinem, circum quem volvitur universa Fides nostra: & propterea videtur continere obviam veritatem. Non existimatis, esse ridiculam eam quæstionem, in qua dubitatus, quisnam ex multis cœtibus v.g. Fabrorum, excellat super reliquos? Certe non insanus dixerit, illum excellere, in quo opera fabrilia excellunt super reliqua ejusdem

artis

artis opificia. Cujus rei gratiâ conveniunt in unum cœlum plures Christiani? Haud dubium ut regenerentur. Baptisma enim, quo initiamur Christo, est, ac dicitur sacramentum Regenerationis: in Christo enim JEsu, neq; circumcisio aliquid valet, neque præputium, sed nova creatura. Ecquid n. est vita æterna? Nihilaliud quàm perfecta regeneratio: in Regeneratione (inquit Salvator) cùm sederit filius hominis in sede Majestatis suæ. quid est homo Regenerato clarius in orbe? Est specimen ejus artis, quæ practicatur in cœtu Christianorum. Est, inquam, ein Meisterstück veræ Ecclesiæ DEI. Nihilominus volo paulo accuratius exponere, ut Miracula innuant verã Ecclesiã &c. huc scilicet per tot ambages contẽdit Capucinus & cõfugit tandẽ ad miracula, quorũ magnitudinẽ in cœtu PõtificiRomano adhærente jactat & quãplurima Capucinis edita commemorat. Sed ut claudã, quàm hæc ratio claudicat? Ridenda multa pro miraculis venditat. Sed transeat hoc. Nunc seria agimus. Dicat nobis Capucinus,

nus, unde miraculis sua constet autoritas? quem illi habeant infallibilem proponentem? Egone credam Capucinis & quibusvis aliis sua jactantibꝰ miracula, & propter miracula ipsi Pontifici, & non credam scripturæ, etiamsi sine infallibili proponente sua exponat oracula? Sic in miracula, in quibus ab omni ævo plurima fraus fuit, denique resolveretur fides nostra. O dissolutam resolutionem!

Sic apparet, ad sacras nobis redeundum literas, ibique sanctum Dei Spiritum quærendum, unde myriadibus infinitis animarum salus parta, unde innumeræ Mundo Satanæq; victoriæ extortæ. Ergo

Gratias tibi agimus summas, æternasq;, O Sancte Patris Filiiq; æterni Spiritus, sanctificator animarum nostrarum maxime optime, quod exilem coram oculis mundi, maximam tamen & inexpugnabilem mundo cathedram in sacris tibi consecraveris literis, quod eas invictas integras contra quævis pericula & machinamenta conservaveris, quod thesauris sapientiæ cœlestis

reple-

repleveris, quod in varias linguas diffuderis, quod aliis ditaveris perfectionibus, quibus contra Omnia persistunt. Explica te nobis perenniter ex illis recessibus, tuere domicilia tua, Ecclesiam & Academiam, in quibus docentur. Incende in nobis eas discendi ardorem. Mitte ex illis ignem, mitte ventum, qui exurat dissipetq; errores. Ignosce iis, quos earum sive fulgor sive tædium ad calumnias stimulat. Propone te in illis benignissimè. Te proponente infallibili triumphabimus contra eum, qui extremis nos exponere satagit tenebris, & per monstra regenerationis & miraculorum fallacias imponit pluribus. Sic ex his sacris literis, ubi in ænigmate te videmus, ad clarum lumen vultus tui tandem positi, Teô S. Spiritus, cum Patre Filioq; Deum unum glorificabimus in seculorum secula.

Fiat ô S. Spiritus, fiat.



Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn727110772/phys_0628
DFG

8 Vorbl.
606 SS. Schluß pag.
1 – 636

Rothe
f. u. Bokum

842

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn727110772/phys_0631
DFG

præſtitiſſe
pergit. S
ſeu cauſam
ceſſitatis,
ſia, qui ſo
(Illa enim
mutabilite
Cur enim ſ
Chriſtiano
ſiam? non
eſſe divina
quòd ea de
jus doctrin
Cœlum eni
tem Deino
riſſimi, Pro
dinem, cir
des noſtra
re obviam
ridiculam e
tus, quisnar
rum, excell
ſanus dixer
fabrika ex

pucinus. Itaque
uærat rationem,
lis & æternæ ne-
us ſit vera Eccle-
et Regeneratis:
et eſſe incom-
luſio ſit certa.)
usmodi cœtum
eram Dei Eccle-
ilè cohibendam
am. Accedit,
era Eccleſia, cu-
m ſacro textu.
ibunt; verba au-
Fateor, ait, cha-
m, eſſe velut car-
itur univerſa Fi-
videtur contine-
exiſtimatis, eſſe
m, in qua dubita-
tibus v.g. Fabro-
s? Certè non in-
re, in quo op era
eliqua ejusdem
artis

the scale towards document
Image Engineering Scan Reference Chart TE263 Serial No.
Patch Reference numbers on UTT
C1 B1 A1 C2 B2 A2 B5 A5 20 18 17 16 11
10 09 03 02 01 C7 B7 A7 C8 B8 A8 C9 B9
4.5 5.0 5.6 6.3
Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn727110772/phys_0633
DFG